QVERIMONIA
Ecclesiæ.

Michææ 7.

Ne gaudeto ô inimica mea, de me: si cecidero, resurgam: si in tenebris mansero, Iehoua mihi lux erit. Iram Iehoua feram, quoniam in eum peccaui, donec litem causamque meam ipse disceptet agatque, donec educat in lucem me, videamque eius iustitiam. Quo viso circumfundetur inimica mea pudore, qua mihi dicit vbi est Iehoua deus tuus? eius supplicium videbo meis oculis: tu iamiam conculcanda es, vt solet vicorum lutum.



LONDINI.
Ex Typographia I. Windet pro
Richardo Watkins. 1592.


Academiæ Cantabrigiensis
Liber



Querimonia Ecclesiæ.



Nimi quidem ægritudo querimonijs haud rarò augeri solet: sed miseros tamen, & ærumnis oppressos de mal[illegible]is conqueri plerunq; iuuat. Vt aliorum enim animos ad misericordiam faciliùs alliciant, de calamitatum suarum magnitudine, & frequentiùs loquuntur, & mœstiùs deplorant. Hoc namque pacto deriuari posse in alios haud minimam doloris sui partem: & communicatum cum pluribus molestiarum onus, leuius omnino futurum putant. Ac quem certe in modum infœliciorum animos calamitates afficiunt: ad eundem me affici video hoc tempore. Quamuis enim non sim nescia, quòd dolorum commemoratione renouatur dolor: quemadmodum vulnera, quæ sæpiùs refricantur, acerbius recrudescunt, & recentem, etiam cum inueterata sunt, afferunt ægritudinem: temperare tamen ipsa mihi non possum, quin lugendo interdum renouem earum rerum memoriam, quas obliuione perpetua deleri exoptarem: & quæ mala rectiùs fortassis tenebris tegi, ac taciturnitate celari potuissent, ad ea in lucem quasi efferenda, & in omnium oculis, ac auribus palàm deploranda accedo. Sic namque percellunt animum res aduersæ, & in eos me affectus trahunt: vt solatium à luctu: ab his quæ ægritudinem

augent, remedium ægritudinis: & quasi à grauißima totius valetudinis perturbatione moderatam humorum temperationem haud raro petam. Neq; tamē tam peruersæ sum naturæ, vt ex tristi rerum facie voluptatem capiam: nec tam barbaræ, & inhumanæ, vt vlcera, quæ acerbiùs me discruciant, assiduè tractari velim. Sed meritò semper lugere possum, cum lugenda singulis diebus committi videam: nec priùs certè meo dolori, quàm hominum pietati aduersantiū nequitiæ finem afferri conuenit. Cùm enim Christo Iesu eum in modum desponsa, & consecrata fueram: vt virgo simul, & sponsa: casta, ac fœcunda perpetuo permanerēm: quo tandem pacto flagitiosam eorum improbitatem ferre possim, qui & Christianos à me, & me à Iesu Christo: filios à matre, & matrem à sponso amantissimo: membra à corpore, & corpus à capite scelerate cupiunt separare? Nam vt liberos meos, quos lauacro renascentiæ deo meo peperi, & æternæ etiam fœlicitati spe, ac votis destinaui, perdita efficiunt Satanæ mancipia: ita me quoque in eam fraudem impellere contendunt, vt fidem Christo meo datam perfidè violem: & meretricio more impuros sequar amatores.

Sed si vnquam fuit tempus illud, cum de improborum numero, viribus, malitia conqueri iustum haberi poterat: hoc profecto tempore, id non modo iustum, sed prope necessarium videatur: cum armatæ quasi legiones virtutem oppugnent, & vix vnus obsistat nequitiæ fœditati. Quam siue temporum calamitatem, siue imprudentiam hominum, siue infœlicem rerum, quæ aut nunquam nasci, aut quamprimum extingui debuissent, magnitudinem, ac potentiam si alij rectè lamentari possint: multo certe rectius id ipsa faciam, quæ Christo meo ea lege, atque conditione deuota, & consecrata fueram: vt cum omni improbitate perpetuo dimicarem. Quod si in hac

queri-

querimonia liberis meis persuadere potero, vt quibusnam rebus vera comparetur fœlicitas, diligentius animaduertant: si lachrymis meis, & precibus permoti, quam infœlicem nequitia habitura sit exitum, aliquando secum cogitare velint: si hoc tantum ab illis impetrâro, vt nec repudient salutem, quam omnibus modis expetere debent: nec miseriam, quam declinare cupiunt, vltro attrahant, & accersant: in hoc quidem labore requiem, & in luctu solatium me reperisse iudicabo. Sed si his querelis fera, & ferrea eorum pectora mitigari non possunt: si vt mihi talia non commerenti, ærumnas, & calamitates sine causa afferunt, ita calamitati meæ sine modo illudent, & insultabunt: me tamen, & ardens pietatis studium, & iustum odium in nequitiam, & animum de meorum salute maxime solicitum, & syncerum amorem in Christum Iesum his lachrymis declarâsse perpetuo iuuabit.

Sed quid primum querar? aut vnde lugendi initium sumam? quocunque enim oculos, & animum conuerto, effœtam vetustate, & prope exhaustam rerum parentem terram, noua flagitiorum monstra incredibili fœcunditate parere: sceleri scelus, continuata quadam serie succedere: & antecedentibus consequentia semper esse grauiora video. Vel enim quod hominum genus innata quadam inclinatione in pessima semper propendet: vel quod nimis ferax, & fœcunda est rerum malarum natura: vel quod extrema iam mundi senecta, sceleris author, & architectus Dæmon, vehementiùs quam vnquã anteà regni sui fines propagare contendat: magna singulis diebus incrementa improbitas capit, & ad infœlicium animarum perniciem longè, latéque venenum spargit. Quod eo etiam mirabilius debet videri, quia cum fluxas naturæ humanæ vires, singulæ ætates aliquantulum imminuant, & absumant, & parentibus liberos sæpisime imbecilliores producant: pleriq; tamen homines,

 maiores

maiores suos, quibus robore pares esse nullo modo possunt, omni nequitia longissimè superant: & in alijs languidi, in scelere, ô tempora, ô mores, sunt nimis robusti. Illud vero mirandum potius, an dolentius deplorandum censeamus, quod ætate pueri, sunt cani malitia: quod decrepita senectute confecti ad committenda flagitia perquàm validè accedunt: quódq; siue summa sit agrorũ vbertas, & omnium rerum abundantia, exarescat semper virtus: siue omnia vel humore corrumpantur, vel siti intereant, maiores improbitas vires acquirit?

Qui rerum in deterius semper prolabentium status, multo vehementiùs me diuexare solet: quòd tam paucos reperio verè pios, qui immane, ac importunum nequitiæ monstrum fortiter mecum oppugnabunt. Nam vt de ingenti illa non loquar multitudine, quæ Christianam pietatem è terris funditùs exterminare contendit: in castris certe meis (in aciem enim, ac dimicationem me prodire Christus voluit; & prouinciam mihi varijs implicatam molestijs, & perpetuis tumultibus agitatam commisit) in castris inquam meis, permultos video timidos: permultos ignauos: permultos inconstantes, & omnium, vel nullarum potiùs partium viros: proditores etiam permultos, qui societatem cum Orco apertè inierunt. Ac olim quidem si quando improba perditorum natio bellum mihi indixisset: cura mea, ac vigilijs, filiorum optimè conspirantium pietate, & quod caput est cœlesti gratia probe communita, victoriam semper obtinebam. Sed iam vt omnia in deterius ruere videatis, non solum crudelissimi hostes furiosè in me inuadunt: sed qui blandiùs, quam vellem, me matrem appellant, malitia hostibus haud dissimiles se esse ostendunt: & quos in acie mecum perpetuò futuros speraui, hi iam funestos mucrones in latus meum distringunt. Ita fit vt vno, & eodem tempore, & aperta vi oppugner, & circumueniar insidijs: vt simul me perturbet hostilis auda-

cia,

cia, & domeſticorum occulta malitia: vt cum alienis, ac intimis, cum his, qui palàm ſe aduerſarios profitentur, & cum filijs meis, cum viſceribus meis, cum tota mea natura ſæpiſsimè cogar dimicare. Apud apertos hoſtes, nihil eſt, niſi fœda barbaries, denſa errorum caligo, & ſcelerata oppugnatio nominis Chriſtiani: ſed qui optimæ voluntatis ſimulatione, malitiam pluſquam hoſtilem tegunt, dum veritatem laudant, pernicioſas intexunt fraudes: & dum ad charitatem adhortantur, dirumpunt neruos Chriſtianæ ſocietatis. Illi ſacra, ceremonias, religionem, & omnia pietatis iura, barbara quadam amentia euertunt: hi in faciem matris (matris nulla certe in re niſi nimia forſan indulgentia peccantis) ſordes conijciunt: & cuius voluntatem ſine maximo ſcelere aſpernari non poſſunt, eius membra immaniter diſcerpere, ac diſsipare haud verentur. Ab illis nihil niſi funeſtum expectare conuenit, cum aperte ſe dicant inimicos: horum vero, qui ſub virtutis ſpecie maxima occultant flagitia, grauiùs nocet improbitas. Illorum rabies, aut cauendo declinari, aut ferendo vinci poterit: ſed capitales horum inſidiæ, nec quia intus verſantur, facilè vitari, nec quia ſtruuntur ab ijs, qui ſocios, & familiares ſe fingunt, vllo modo ferri poſſunt. Externorum etiam hoſtium furor, velut acrior quædam medicina ſæpe mihi vtilis fuit, & ſæpe ſalutaris: ſed eorum qui pietatem ſimulant perfidia, calamitatem bonis, ruinam virtuti, maximas perturbationes Chriſtianis rebuspublicis, & mihiipſi detrimenta grauiſsima ſemper inuexit.

Quibus ego rebus tam vehementer diſcrucior, vt quo me vertam, aut quodnam tot malis remedium adhibeam, planè ignorem. Nam cùm ad ſuſtinendas hoſtiũ incurſiones me paro, domeſtica ſubito naſcuntur incendia: cùm domeſtica incommoda depellere cupio, noua ab hoſtibus pericula oriuntur. Ac domeſticis malis tam grauiter premor, vt irruenti hoſti minùs fortiter obſi-

stam: externi autem hostes tam furioso in me impetu incurrunt, vt domesticos tumultus sedare nequeam. Ita fit, vt è medijs quasi fluctibus, in littus maxime infidum disiecta, & è littore in fluctus iterum depulsa, nec auxilij spem, nec miseriæ solatium repetire possim.

Quid igitur agam? aut quibusnam modis tam immensam malorum molem à ceruicibus nostris sperem depellere? Supplexne fugiam ad infestissimos hostes? durosne, & immites eorum animos, qui saluti meæ perpetuo aduersantur, fletu, & lachrymis ad misericordiam permouere contendam? Declarabo quam nefarium sit scelus oppugnare innocentes? Ostendamne quam turpis sit victoria, quæ homines morti se cupidiùs, quam contentioni offerentes interimit? & quam barbara sit eorum inhumanitas demonstrabo, qui vel vrgent iacentes, vel præcipitantes impellunt? Sed querelas nostras quanti facient, qui in aliorum miseria felicitatem suam statuunt? & quanam ratione, afflicta innocentia ad misericordiam eorum animos alliciat, qui æternum cum omni virtute bellum susceperunt? Maleficij causa nunquam illis deesse poterit, quos effrænatior quædam malitia ad nocendum stimulat: & iniurias pijs inferre haud vnquam desinēt, qui in ipsam pietatem odio nimis incenso feruntur. Num à filijs meis (filij enim erunt, tametsi hostili in me odio, & acerbitate sunt: nec vnquam ita de scelere suo, ac improbitate audient, vt suauissimum beneuolentiæ, & charitatis nomen amittant: nam quò maiori parentes suos obseruantia, ac pietate colere filij debent: eò magis detestanda eorum videatur improbitas, qui matrem suam amantissimam omni contumeliarum genere diuexant) num igitur à filijs meis postulabo, vt, si iacentem erigere, ac recreare vel non possint, vel non velint, ne quid tamen ad eas ruinas quibus oppressa iaceo acerbitatis addendum putent? Sed quid? num querelas meas audient, qui dei iussa scelerate contemnunt?

& qui vltrices ſcelerum flammas, & æternos illos qui deſtinantur improbis cruciatus haud verentur, hoſne lachrymis meis vnquam permoueri poſſe exiſtimem? Num ergo à regibus, à principibus, à ſummis Chriſtiani orbis gubernatoribus petam, vt rebus iam perditis, ac prope deſperatis quantum poſsint remedij afferant? Recte id quidem: languenti enim, & ægrotæ virtuti, hoc fortaſsis pacto nonnihil præſidij comparetur; Horum enim eſt ab impiorum audacia eccleſiam defendere: horum eſt afflictæ pietati hoſpitium præbere: hi ſi diu, ac fœliciter imperare velint, deo inprimis parere debent. Ac multos ego in hac poteſtate collocatos, poteſtate non magis, quàm virtute: nec tam honore, quàm chriſtiana pietate, alijs omnibus video præcellere. Vt gubernatores tamen optimi, vim tempeſtatis: ſic maximi principes, nequitiæ impetum perpetuo ſuperare non poſſunt. Neq; enim ſemper verum eſt quod dixit Plato, *quales ſunt in rebuſpublicis principes, tales ſolere eſſe reliquos ciues: ſed aliquanto verius eſt illud Artemiſiæ reginæ, optimos dominos, ſeruos plerunque peſſimos habere.* Vt quiſque enim eſt vir optimus, ita alios eſſe improbos difficillimè ſuſpicatur. Deinde magis ſolicitè laborant improbi vt libidinem expleant, quam boni vt adhæreſcant virtuti: Plures vitiorum illecebris à recta via abducuntur, quam optimis legibus à ſcelere auocari poſſunt. Non tam homines à maleficijs pœna deterreri, quàm pernicioſis exemplis ad peccandum ſtimulari ſolent. In nequitiam omnes naturâ trahuntur: ſed ad pietatem non perueniunt, niſi demiſſa cælitùs fuerit gratia. Religio, vt ſanitas, non ſine maxima cura incolumis conſeruatur: ſed ſcelerum, vt morborum nullo impellente latiſsimè ſerpit contagio. Sed omnium illud eſt grauiſsimum quod ſemper id agit, ac molitur Satanàs, vt in agrum domini herbas lætis frugibus inimiciſsimas immittat. Quamuis igitur magni principes,

in eam curam, omni ſtudio intendant, vt improbitatis vires infringere, ac debilitare poſsint: pijs tamen eorum conatibus, vel Satanæ malitia, vel peruerſa, ac deteriorum appetens hominum natura, vel ſcelerum ſponte naſcentium fœcunditas ſemper obſiſtit.

Sed quid? in eamne accreuit magnitudinem nequitia, vt tanquam rapidus torrens, niuibus hybernis auctus omnia ſecum rapiat? & afflictæ virtuti nihil vnquam auxilij afferatur? Improborum libidini, tota rerum natura ſubſeruit? & innocentes è periculis nulla vis, nulla ratio, nullum conſilium, nulla mens, nulla prouidentia, nulla deniq; poteſtas eximet? Imo vero ruat in me licet vniuerſus mundus, ab ærumnis tamen Chriſtus me clementer defendet: & cùm omnia in terris funeſta occurrunt, cœli auxilium pollicentur. Beatum enim illud, ac immortale numen bonis bonum ac propitium ſemper adeſt, eoſq; ab hominum malitia, & tenebrarum poteſtate fortiſsimè vindicat. Deus certe meus, non eſt homini ſimilis, vt commutari poſsit: non lubricus, & incertus, vt diſcrepantes de rebus ſententias ferat: non leuis, & inconſtans, vt quæ ſemel decreuit, aliquando reſcindat: aut condemnet, quæ priùs ſibi approbata fuerant. Quos in ſuorum numerum aſciſcit, nunquam repellit: quos ex ingenti pereuntium turba eximit, funditùs perire non ſinit: & quos æternæ ſecum gloriæ conſortes habere deſtinauit, eos perpetua calamitate premi minime patietur. Varijs ille modis, etiam quos maxime amat, affligi permittit: vel quòd fides ærumnis, vt igne aurum explorari ſolet: vel quòd perſpecta mundo ſanctorum patientia, ad animi magnitudinem, ad conſtantiam, ad pericula pro pietate fortiter ſubeunda permultos excitat: vel quòd langueſcit ſine hoſte virtus, vt corpora quæ non exercentur, vires amittunt: vel quòd in nequitiam, procliues hominum animi, ærumnis, vt fræuis coerceri, & ſcelerum, vt morborum alimentum, ac

ac materies rebus aſperis, tanquam medicinis expurgari poſſunt: vel quòd virtutum opinione inſolentius inflati, & ſuis confidentiùs viribus ſubnixi, cùm affliguntur, imbecillitatem ſuam faciliùs intelligunt, & modeſtiùs de ſeipſis ſentire diſcunt: vel denique, quòd qui rerum humanarum leuitatem, inconſtantiam, ſordes, miſeriam experti fuerint, cœleſtium amore ardentiùs inflammantur. His de cauſis homines virtute præditos exercet, non euertit: in aciem, in dimicationem, in omnium rerum diſcrimen adducit, non deſerit in periculis: lætum quandoque vultum ab illis auertit, ſed plena poſtea ſubminiſtrat ſolatia: & miſeris, ac calamitoſis tum maxime propitius adeſt, cùm in maximas eos difficultates coniectos, & humanis præſidijs omninò deſtitutos videt. Et quemadmodum rubus ille, quem in monte Horebo aſpexit Moſes, etiam cum flammis diuinitùs excitatis deflagraret, ne leuiter quidem vſtulatus fuerat: ſed in medijs flammis, perinde quaſi non materies eſſet ignis, ſed igne tanquam alimento vteretur, incolumis, & illæſus permanſit: ita cùm homines verè pios calamitates tanquam flammæ vehementiùs inuadunt: non imminuere virtutes, ſed certiùs confirmare ſolent. Atque vt rubus ille, cùm ita exardeſceret, vt non exureretur, & quam priùs habuit infirmitatem depoſuit, & nouum inſuper ſplendorem acquiſiuit: ita ſancti homines, dum ærumnis exercentur, & quibus inquinati erant ſordes excutiunt: & noua quaſi dignitate aucti, multò clariùs & illuſtriùs ſplendeſcunt. Hanc ob cauſam ad Chriſtum ſalutis meæ authorem fugere, ab eo opem, & auxilium petere, eius miſericordiam implorare, & fidem ad hunc modum obteſtari iuuat.

Precatio ad Christum.

ANimum certe meum frangeret salutis desperatio: & in rebus tam perditis, haud quicquam solatij inuenire possem: si non te piorum defensor Iesu, qui omnibus iniustè afflictis portus, ac perfugium semper extitisti: mihi quoque hoc tempore præsidio futurum putarem. Sed in maximis ærumnis, haud parùm illud me reficere,& recreare solet: quòd te, sanctissime Iesu, calamitosis, ac miseris, difficillimis quidem temporibus clementer subuenisse: & ijs quæ prorsus desperata videbantur salutare nonnunquam attulisse lumen, experiundo edocta certissimè intelligam. Non enim vt gubernatores, cùm vim tempestatum superare non possunt,immemores artis fluctuum & ventorum violentiæ cedunt: sic tu, quòd rebus grauiter agitatis pacem afferre non potes, fluitantem in alto ecclesiæ tuæ nauem turbulentis procellis iactari permittis: sed pietatem,cùm ab vniuersa tenebrarum potestate oppugnatur, præter omnium spem,atq; expectationem defendis: seruos tuos, cùm in extremum discrimen adducti videantur, ab interitu vindicas: in maximorum malorum depulsione, diuina virtutis tuæ præstantia potissimum affulget: & potentiæ tuæ magnitudinem, ac prudentiam consilij id mirificè commendat, quod sanare desperata, & quæ penitùs sunt extincta, reducere ad pristinum decus tu solus potes.Quid ergo minuitur quotidie fidelium numerus? Quid omnibus locis religio tam miserè exarescit? Semperne boni improbis cedent? Et de sanctitate scelus perpetuò triumphabit? Quousq; sponsam tuam Christe mœrore confici permittes? Et quando illis, qui opem tuam dies ac noctes implorant,solatium afferetur? Quam acerbum hic rerum status dolorem mihi affert, mi Iesu,non ignoras: sed doloris mei causam nō depellis. Vt cum nequitia perpetuo confligam,præcipis: sed quos in aciem, ac dimicationem mecum educo, ab hostibus tuis in perniciem trahi sinis. Tot malis fessa, ad Iesum meum

meũm peruenire cupio, vt beato illo aspectu, amplexuq; omnem ex animo ægritudinem dimoueam: sed futura expectantem, præsentia perturbant: & veteribus malis haud plenè liberatam, infœlix quidam, vt nouorum, ita grauiorum etiam malorum ortus, vehementer affligit, & recentem mihi semper immittit molestiam. De promissorum tuorum veritate, sine maximo scelere dubitare non possum: sed amantem mora haud leuiter discruciat, & animum quietis appetentem, auxilij diu expectati dilatio, in maximos solet dolores impellere. Miserere ergo mei Christe Iesu, mei quæso Christe tandem miserere: & eripe me ex eorum faucibus, quorum crudelitas sine mea, ac meorum omnium pernicie expleri nunquam poterit. Suscipe aliquando afflictæ pietatis causam, & nec frustrà pijs auxilium promitti: nec improbis supplicium temerè denunciari, reipsa nobis declara. In hac tristi rerum facie seruis tuis, tu, tu æterni patris æterne fili, clementer succurre: & miseram, ac infœlicem hominum naturam, quam formasti initio, & postea redemisti, in sempiternam perniciem haud permitte abripi. In rebus tam desperatis, lætè quæso affulgeat potentiæ tuæ magnitudo, & sapientiæ tuæ lumen: vt impurissima animorum labes, & corruptela improbitas, quę adhæreſcit semper hominibus & ex hominum pernicie vires acquirit: quę naturam perpetuò sequitur, & pręter communem augetur naturæ cursum: vel opprimatur penitùs, vel saltem minuatur. Eam certe rerum fere omnium naturam esse voluisti, vt mutentur perpetuò, & certo quodam motu in res maxime contrarias ferantur. In communi igitur commutatione, quid sibi semper similis improbitas manet? quid in contrariam virtutem haud vnquam mutatur? Caligini lumen vsitatè succedere: procellas à tranquillitate sæpenumero excipi: & depulsa hyeme: vere nouo, nouum terris ornatum afferri videmus. Sed offusam omnium animis errorum caliginem,

Precatio ad Christum.

Precatio ad Christum. liginem, haud vllum mi Iesu veritatis lumen dispellit; sæuiores procellas, quibus miserè agitatur Christianus orbis, tranquillior aura haud vnquam excipit: & cùm perpetua quasi hyeme omnes virtutes exarescere videamus, nouum tamen ver, quo rursus effloresçant videre non possumus. Ac certas quidem præscripsisti leges, vt orta omnia occidant, & aucta senescant. At nequitia, etiamsi tot secula in orbe permansit: nec ad interitum perducitur, nec ad senectutem vergit, sed perpetua florescit iuuentute. Omnia corrumpit, & ab omni corruptione libera, ac seiuncta manet: ex humanarum mentium errore, ex imbecillitate, ex naturæ deprauatione proficiscitur, & cum virtutis robore asiduè confligit: & quod, miserrimum est, res fugacissima, rem fortissimam: res turpissima, rem omnium longè præstantissimam in fugam vertit.

Ac primò quidem inter omnes, qui operam Satanæ haud obscurè nauant, principem locum obtinere videantur: qui fidem, perfidia: pietatem, horrenda nequitia: orbis ad Christum conuersi decus, barbara & immani feritate violârunt. Exitiabilis enim hæc rerum humanarum pestis, quæ pietati bellum aperte indicit: permagnam inquinauit terrarum orbis partem: & rem Christianam in maximas angustias adduxit. Neque tamen quiescit adhuc, sed domitis semper proximis, cum accessione virium fortior ad alios transit: & proximam quamq; victoriam, instrumentum sequentis constituit: & quodcunq; est in orbe sacrum, id penitùs euertere conatur. Ac alij horum hominum fœlicitate, (si qua possit esse in scelere fœlicitas) permoti: è castris tuis Christe asiduè transfugiunt: & afflicta virtute voluptatum illecebras: ac inanes fugacium bonorum vmbras, vera immortalitate, prestantiores iudicant. Sed hos homines, quoniam illibatæ pietatis omnes simul partes oppugnant, tu, tu vitiorum depulsor optime, fortiter euerte:

vt

vt quantis se inuoluant malis, qui cum cœlo confligunt certo ab omnibus posſit intelligi. Sed non magis mihi obest hoſtilis rabies, quám incenſa aliorum malitia, qui cúm Christianos ſe dici, & haberi volunt: in violanda tamen Chriſtiana fide, inexpiabiles fraudes concipiunt. Aperti enim hoſtes cauendo faciliús vitari poſsint: ſed hoc inteſtinum, occultum, ac domeſticum malum, non modo exiſtit, verum etiam opprimit, antequam perſpicere: atque explorare potuero. Hi autem non tam vi, quam ſcripturis a vero ſenſu detortis, ſcripturarum veritatem oppugnant: hi ſanctitatis arma, ad ſanctitatem peruertendam adhibent: hi lumine lumen obſcurare contendunt: hi pij in flagitijs, innocentes in ſacrilegis direptionibus, & dum effuſas in omni intemperantia libidines conſectantur, maxime continentes haberi cupiunt: hi religionem, quam profitentur, reipſa cõtemnunt & fideles Chriſti ſeruos ſe eſſe iactant, cum quiduis potius quám Chriſtiani appellari poſsint. Sed quoniam, ſalutarem gratiam reſpuunt, iuſtitiæ tuæ ſeueritatem inuiti ſentiant. Meritiſsimó enim pereant, qui in perniciem viuunt innocentium. Acerba ſunt hæc mala, & æternis lachrymis deplorari debent: non nunc tamẽ primúm enata ſunt, ſed ſæpe antehac alijs ætatibus extiterunt. Verũ oriũtur iam noua, quæ videre ipſe profecto ſol cohorruit: & totus cõtremuit Chriſtianus orbis. Reuocatus enim, ab inferis atheiſmus, nullam eſſe vim cœleſtem, aut numen diuinum multis perſuadet. Cum atheiſtis Epicuræi ſcelerum fœdere & ſocietate coniuncti, res humanas caſu volui, non conſilio adminiſtrari contendunt. Ex orco ſuſcepta Machiauelli ſoboles, nihil ſtatuit eſſe impurum, quo libido expleri: nihil iniquum, quo potentia comparari poſsit. Pietatem vero, ad conciliandum decus recte interdum ſimulari: ſed ſi vitæ commodis officiat, contemni prudenter, & recte irrideri iudicat. Humanas prætereá mentes, tam grauis hoc tempore

Precatio ad Christum.

re

Precatio ad Christum. re veternus occupauit: vt omnes fere in scelere securi obdormiscant: & ad audienda dei iussa, vix vnquam excitentur. Qua malorum illuuie, si non tu, mi Iesu, terrarum orbem quamprimùm liberaris, vniuersum certè hominum genus in sempiternam miseriam decidet. De infœlici enim Adami sobole, quid aliud vel sperare, vel prædicare conuenit, cúm quæ solæ erant in terris scholæ pietatis, sint iam officinæ vitiorum: cùm sacraria spiritus sancti, sint latronum speluncæ: cum ordinis, & venustatis domicilia sint claustra confusionis: cùm Syonis arces occupârit Babilonia fœditas: cū in castris Christi, Satanæ milites versentur: cùm in omnibus fere ecclesijs languescat vera ecclesia: cum vniuersi denique Christriani, quem ore colunt, factis contemnant, & vita moribus, ac voluntate cum illis mirifice conspirent a quibus opinione, Iudicio, externa fide, professione, legibus, institutis dissident longissimè. Quod si qui sunt, qui tamen pauci sunt, & numerari facilius quàm inueniri possunt, qui polluenti omnia sceleri hoc tempore obsistunt: hi de optimis conatibus depulsi, pijs consilijs permulta semper obesse vident: & nec improbis multitudine, nec robore tenebrarum potestati, nec consilio Satanæ se adæquari posse intelligunt. Piorum enim si aduertamus numerū, non minùs eos ab improbis multitudine, quàm ab arboribus vites, a floribus rosas, a lapillis gemmas, ab impurissima argilla, puluerem illum vnde efformetur aurum, superari videamus. Salutis autem nostræ oppugnator Satanas, in mille formas, ac species sese vertit, vt plurimos secum in perniciem trahat: & omnia potius perdere, quám vel solus, vel cum paucis perire cupit. Ea vero nequitiæ est natura, vt cùm oppugnatur, crescit: cùm in terram deijcitur, Antæi more vires resumit: cùm in omnium conspectu eius fœditas collocatur, permultos allicit in sui amorem. Et siue insectetur: siue fugiat, improuidis, & incautis semper creat pericula: & vt victrix

trix

trix perimit, ita victa funestum in nos miseros bellum instaurat. Sic implacabilis Satanæ malitia, cum incredibili astutia, & fraude coniuncta: nimia scelerum sponte nascentium fœcunditas: ingens eorum qui religionem oppugnant multitudo: piorum squallor, sordes, inopia, ruina, in nequitiæ castra, ab ecclesia tua Christe permultas quotidie abducunt legiones.

Precatio ad Christum.

Vt olim igitur lætari, & in hilares erumpere cantiones poteram, quòd mihi diu sterili, numerosa proles diuina benignitate concessa fuerat: ita nunc orbitatem meam haud immeritó lugeam, & deplorem: quòd ex tot liberis, quos labore peperi, & magna solicitudine, ac cura educaui, tam paucos superesse videam, qui deo meo, piè, ac religiosè obtemperabunt. Sed vt Ægyptiacus ille Pharao, Israelitarum paruulos, aut statim perimi, aut in flumen deturbari iussit, vt gentem nimiś propagatam vel deleret penitus, vel saltem imminueret: ita infestissimus mihi hostis Tartareus Pharao, abreptos mihi liberos assidue trahit in perniciem: & sobolem meam arenâ maris aliquando magis numerosam, pauculis post messem spicis, & exiguæ post vindemiam racemationi similem facit. Hanc ob causam cum sanctissimo vate haud immeritò exclamem. *Restat puella Syon, vt casea in vinea, vt tugurium in horto cucumerum, vt vrbs obsessa. Quod nisi præpotens mundi rector, reliquias nobis conseruâsset, essemus pene vt Sodoma, essemus Gomorrhæ similes.* Sed quò grauiora sunt mala, quæ seruos tuos Christe hoc tempore percellunt, eò clarius splendescet virtutis tuæ lumen, si hominibus miseris, quos inferorum fauces iam oppressuræ videantur, salutem, quam vehementer quidem optant, sed sperare vix audent, benigne afferes. Delectat enim magis, quæ in medijs periculis affulget salus: & gratiora sunt auxilia, quæ præter omnium spem, atque opinionem afferuntur. Sed externorum hostium, à quibus nihil vnquam

C. boni

Precatio ad Christum. boni expectabam, minùs me discruciat acerbitas: & occurro etiam interdum satis fœliciter impuræ eorum malitiæ, qui dum familiariùs me osculantur, crudeliter me vulnerant: & venenum permiscent cum salutaribus cibis. Verum cùm externam vim depulero, & contextas à domesticis declinâro fraudes: grauius tamen mihi adhuc, & periculosius certamen cum mea ipsius natura restat. Omnes enim mei affectus cum ratione, ratio cum mente, mens cum sanctissima Christi mei voluntate, de partibus quid loquar? tota mea natura, cum naturæ authore, & parente deo scelerate confligit. Ac hostiles quidem impetus vel fugiendo declinem, vel ferendo vincam: & quæ malitiosiùs à domesticis texuntur, haud vllis nisi temere credentibus nocere possunt. Sed nimium mihi placent, quæ affectus mei proponunt: & fucati etiam boni fallax quædam species, in fraudes Capitales sæpenumerò me pellicit.

Illud quoque in hac re accedit incommodi, quòd dum naturam alo, alo etiam simul naturæ morbos, & funestissimis hostibus subministro vires: dum vsitata mihi alimenta subtraho, ipsam illam, quam conseruare debeo, naturam oppugno, & ad labores subeundos efficio tardiorem. Sed hanc naturæ meæ imbecillitatem, imbecilliorem quodammodo, & magis inquinatam Diabolus reddit: dum ingenita mihi, & innata mala, omnibus modis adaugere solet. Huius ego tam importuni hostis, nec astutiam consilio rescindere: nec malitiam, innocentia mitigare: nec audaciam, modestia cohibere: nec vim, & feritatem, aut resistendo frangere, aut cedendo placare possum. Pertentant prætereà constantiam meam varia mundi blandimenta, quę homines prudentissimos à recto nonnunquam cursu depellunt. Haud parum mihi obstant, coniunctæ semper cum vitijs perniciosæ quædam illecebræ, quæ probrum castis, labem integris, turpitudinem bonis, sæpissime inferunt,

runt. Obuersantur mihi denique ante oculos piorum sordes, & ærumnæ, quæ generosæ mentis indolem plerunque frangunt: & permultos, ad labores subeundos segniores faciunt. In tam lubricis ergo vijs, quonam pacto sine prolapsione insistam? aut quo consilio declinem pericula illa, quę semper mihi imminent, & impendent? Qua vi retardentur tot hostium impetus? Et quanam ratione è sæuissimis tempestatibus, ac procellis, ad portum diu expetitum perueniam? Quod est meum robur, vt perpetuò durem? aut quis finis, vt omnino perpetiar? Num saxeum mihi robur est, aut æneum corpus, vt frangi non possim? Num ea vis, vt dispellam omnia quę aduersa mihi, & opposita quouis modo videantur? Tam periculosum ergo belli genus, annon meritò perhorrescam: in quo vt cum extraneis, ita cum domesticis: vt cum hominibus nulla familiaritate coniunctis, ita cum amicissimis: vt cum omnibus alijs, ita cum meipsa perpetuò cogor dimicare? Externa si depellam mala, perturbor domesticis: si læta foris sit quies, intùs omnia sunt plena periculorum: si hostium insidias cautè declinem, circumueniar ab amicis: si splendidam de alijs victoriam reportem, à meipsa infœlix in seruitutem trahor.

Precatio ad Christum.

Quibus malis, si minùs me permoueri dicam, solatium meo dolori haud iustè possim expetere. Quid enim calamitatem deprecer, si nullo calamitatis sensu afficiar? aut terras iam relinquere quid tam ardenter cupiam, si nullum mihi terrę dolorem apportent? Cœlisne digna videri possim, si propter cœlos res mihi charissimas non dimittam? aut Christum amare qua ratione videar, si nullas pro Christo ærumnas feram? Ad libertatem peruenisse qua fronte petit, qui sub duro seruitutis onere haud vnquam ingemuit? & ardenti virtutis studio se esse inflammatum quonam pacto declaret, qui virtutis causa, nullas in vita hausit calamitates? ferreæ

Precatio ad Christum.

profectò est naturæ, qui in malis positus, dolorem non sentit: & ingenij barbari, ac iudicij profligati haud immeritò haberi possit, qui in terris potiùs incognitis perpetuo peregrinari, quàm ad certas sedes ac domicilia peruenire cupit. Et siquis sit qui exilio mulctatus, de patria non cogitat: Qui in mari fluctuans, ad portum appellere non contendit: Qui bello oppressus, ab hostium potestate vindicari non desyderat; eum ego à communi hominum more, ab vsitata consuetudine, ab ipsa etiam natura abhorrere arbitror. Quod si infirma in hoc iudicari possum, infirmitatem meam confiteri iuuat: si mollis, haud occultabo molliciem: si in errore verser, rectiùs me patiar informari: si ab animi fortitudine, & constantia longiùs sim dimota, cuinam potiùs quàm Christo, morbos meos declarare conuenit? Is hominum nequitia vehementer me discruciari perspicit; is à iactis mundi fundamentis, haud vnam mihi diem mœrore vacuam, aut liberam à molestia illuxisse intelligit. Et nunc certè, crescente indies nequitia concrescit dolor: nec priùs meæ ægritudini, quàm omnium scelerum colluuioni finis afferetur. Quousque igitur mi Christe, quousque in hac lachrymarum valle exul morabor? Quando tot malis fessa, ad optatum quietis portum secundis ventis perueniam? Semperne lachrymas frustrà effundam? & supplices querelæ haud vnquam audientur? *Hei mihi quod inter infestissimos hostes tam diu peregrinor: & quòd in Kedarianis viuo tabernaculis.* Vt nauis in alto fluitans, infinitis periculorum tempestatibus agitor, & ventos tu Christe non increpas, procellas non sedas, sed in tam luctuoso rerum statu videris dormire. At verò quantis in malis verser non ignoras: nec miseræ & amantis sponsæ contemnis preces. Infinitam enim sapientiam haud quicquam fugiet, & qui immensæ est potestatis à nequitia superari non potest. *Aurium profectò sator, suorum*

querelas

Precatio ad Chriſtum.

querelas audit: & ſcrutator oculorum, quæ in terris geruntur, omnia colluſtrat. Iuſtiſſimus gentium punitor, de nequitia pœnas ſumet: & miſeros, ac calamitoſos ſubleuare, haud vnquam meus Ieſus obliuiſcetur. Quid ergo ſponſam tuam Chriſte, tantis calamitatibus vexari ſinis? Quid quotidiana tuorum ruina non moueris? Semperne religionem improbitas de loco depellet? Num pudorem libido, modeſtiam audacia, & rationem amentia perpetuò ſuperabit? Quid domus tuæ elegantiam, confuſio peruertit? Quid ſanctiſsima ciuitas funeſtis contentionum flammis deflagrat? Quid in virtutis ſchola docetur nequitia? Quid legum tuarum ſanctitas ab hominibus peſsimis impunè violatur? *Quid quæſo vineam illam, quam ex omni ſtirpium genere delegiſti, ſilueſtres apri diuaſtant? Quid lilium illud, quod ex omnibus floribus maxime adamaſti, procellis areſcit? Quid in ea valle, quam laudibus tuis perſonare voluiſti, caſtra tenduntur nequitiæ? Quid in riuum, quem omnibus vndis prætuliſti, omnium flagitiorum ſentina confluit? Semperne Syonem, quem nomini tuo conſecraſti, impuriſſimi homines polluent? Num ſimplicem illam, quam tibi nominaſti columbam, rapaciſſima Harpya diſcerpent? Num ouem, quam tibi propriam, ac peculiarem eſſe voluiſti, lupi vorabunt? Num denique populus ille, quem ex Orci faucibus vindicaſti, in Orcum relabetur?* Obuenient profectò hæc omnia, nec vllo pacto prohiberi poterunt, niſi tu qui malorum es depulſor vnicus, creſcenti indies ſceleri quamprimum occurras: & afflictæ pietati certum tandem præſidium deſignes. Nam quod ego tot malis agitata, perniciem hucuſque declinarim: miſericordiæ tuæ, non meis viribus: cœleſti gratiæ, non meæ ſanctitati aſsignari debet. Sed vt bonitas tua mi deus, cùm adhuc non eſſem, è luto, & argilla ad ſimilitudinem tuam, & imaginem mirabiliter me effinxit: ita bonitas etiam tua, quæ olim efformauit opera, perpetuo tueatur, & conſeruet. Vt miſericordia tua, cùm legis tuæ immemor

Precatio ad Christum. ſceleratè deliquiſſem, omnia mihi peccata clementer ignouit: ita miſericordia tua ſcelere me purgatam eò perducat, quò nulla vnquàm mali contagio permeare poſsit. Vt cœleſtis tua gratia, æternam mihi fœlicitatem largiri deſtinauit: ita gratia tua, quæ certò propoſuit, tandem aliquando præſtet. Indigna ſum fateor, quæ hæc petam, at non indignus tu, qui hæc concedas. Nihil certe in me eſt, quod tantam beneuolentiam promereri poſsit: at tibi non deeſt quod pœnitenti largiare. Impuritatis meæ conſcia, ad maieſtatis tuæ ſolium timidè, & diffidenter accedo: ſed quò plus eſt peccati, eò magis excellit gratia: & cum miſeris, calamitoſis, ac omni ſpe auxilij prorſus deſtitutis clementer ſuccurris, benignitatis tuæ opes multò clariùs & illuſtriùs ſplendeſcunt.

Bona illa, quibus circumfluunt improbi, ſanctiſsime Ieſu non peto. Honor, gloria, deliciæ, potentia, opes haud quicquam mihi voluptatis afferunt. Nullas repudiabo calamitates, quæ non abducunt a virtute. Terrenis rebus nec multùm oblectari, nec multùm perturbari poſſum. Nequitiam vehementiùs quàm grauiſsimos cruciatus metuo. Mori certe millies, quàm deo meo ſemel diſplicere mallem. Vnum eſt mi Ieſu, quod vehementer peto: ſponſæ tuæ deſyderio, hoc vnum concede, vt ad aſpectum tuum & amplexum poſt tot ærumnas perueniam. Qua in re, tametſi deſyderio meo te cumulatiſsimè ſatisfacturum confido: dum futura tamen mihi promitto, odioſo eorum quæ iam adſunt, perturbor ſtatu: & quamuis cum amore timor haud optime copulari poſſe videatur: ardens tamen meus in Chriſtum meum amor nimis me ſolicitam & timidam reddet. Hic amor languidam me prorſus & imbecillam efficit. Huius deſyderij magnitudo, ſine maxima cura, me nunquam quieſcere permittit. Nihil mihi in terris grauius accidit, quàm quòd a vitæ meæ ſolatio tam diu disiungor. Veniant mihi aduerſa omnia, dummodò ſalutis meæ authorem

rem videam. Intorqueantur in me tela, sponte excipiam. Districtis in me gladijs ruant funestissimi hostes: occurram animosè. Opponantur mihi flammæ: restinguam lachrymis. Obijciar fluctibus: amoris flammam haud vllæ quidem aquæ absument. Sæuiat in me vniuersus mundus, & mihi ac meis perniciem afferre, omnibus modis Satanas contendat: calamitati, exilio, inopiæ, morti libenter me offeram, vt ad delicias meas Iesum, quamprimùm perueniam. Sed cùm perfectam tibi obedientiam præstare non possum, quamdiu naturæ meæ peccatum tenaciter adhærescit: & adhærescet naturæ meæ peccatum, quamdiu ad peccandum miseram me, ac infœlicem Satanas stimulabit: & ad peccandum me allicere Satanas non desistet, quamdiu naturæ meæ imbecillitatem superari posse perspicit: & natura mea perpetuò deuinci poterit, donec omne, quod est in me caducum, ac mortale, immortalitatem adipiscatur: ate mi Iesu vehementer peto, vt famulos tuos tot malis attritos in eas tandem sedes perducas, in quas nec scelerum impuritas, nec Satanæ malitia vnquam potuit penetrare. Veniat quæso dies ille, ille inquam bonis Iucundus, sed funestus improbis Iudicij dies. Audiamus hoc tempore clangorem cœlestis tubæ. Mutetur viuentium status. E sepulchris suscitentur mortui. Iustissima de omnium vita, ac moribus feratur sententia. Perueniant pij ad expetitas sedes, & in Gehennam improbi vltricibus flãmis cruciandi immittãtur. Veni ergo dulcissime Iesu: ad sponsam tuam amore languentem citò veni. Haud offendes imparatam. Emptum est oleum. Accensa lucet lucerna. O quàm libenter in nubibus tibi occurram. Quàm cupidè ad pedes tuos, pedes certe ob mea peccata clauis confixos me proijciam. Quanta cum voluptate osculabor salutarem illam dexteram, quæ tenebrarum potestatem fortiter deuicit. Clauorum vestigia, & vulnerum cicatrices lachrymis rigare vehementer Iuuabit.

Precatio ad Christum.

In

Precatio ad Christum.

In ſpecioſo, & amabili tuo vultu, vultum meum Figam. Pulchritudinis tuæ contemplatione Satiabo deſyderiū: et in beatum illud Pectus, quod amoris flammas in pectus meum ſpirat, perpetuò recumbam: vt euertantur impij, qui tam multos euerterunt, perpetua æquitatis ratio poſtulat: vt promiſſa veniat orbis renouatio, ipſa rerum natura, propter nos initio creata, & ob ſcelera noſtra execrationi obnoxia cupidè expectat. Ego vero ipſa, vel quòd amanti mora grauiter diſplicet: vel quòd ſolatium infœlices quamprimùm inuenire cupiunt: dulciſsimi Ieſu abſentiam diutiùs ferre non poſſum. *Prorogata enim expectatio mentem cruciat, ſed vitalis arbor eſt, cum adſunt optata.*

Sed quoniam aduentum ſuum Chriſtus, eam potiſsimùm ob cauſam tam diu differt, vt eos qui in omni genere improbitatis audacius verſantur, benignitate & patientia ad ſalutarem pœnitentiam inuitet: meas interim duco partes, filios meos a pernicie omnibus quibus poſſum modis reuocare. Ac ſæpe quidem perfideles paſtores, qui greges fidei ſuæ commiſſos ad pietatem recte inſtruunt: per hominum eruditione præcellentium labores, & vigilias, qui editis in lucem libris, & virtutis pulchritudinem, & fœditatem vitiorum ante omnium ora, & oculos proponunt: per eorum etiam ſuſpiria, & lachrymas, qui ad debilitandas improborum vires auxilium è cœlis aſsiduè petunt, cùm omni vt potui nequitia dimicaui. Sed iam vel quòd communem omnium hoſtem, vt a ſingulis, ita ab vniuerſis oppugnari conuenit: vel quòd apud eos, qui non omnem penitùs excuſſerunt pudorem: nonnihil fortaſsis valebit mœſtæ & calamitoſæ matris dolor: vt ruentes in perniciem meos liberos, ad rectam viam faciliùs reuocare poſſem: præceptiones cùm precibus, ſcriptiones cum tacitis animi votis: lachrymas, & reprehenſiones, & diſputationes cum querelis

Christiana pietas inter domeſticos quam apud extraneos graniores reperit inimicos.

relis simul volui copulare. Quo labore quid boni fiet, certò affirmare non audeo. In malitia enim ita obfirmantur multorum animi: vt lætiores fructus hoc tempore sperare, planè temerarium existimari possit.

Sed honesta cupienti, & alijs præclara exoptanti, benigne aderit cœleste numen. Vt sacrosancti verbi semen in spinêta, in saxêta in vias cuiuscunque generis viatorum tritas vestigijs sæpenumerò decidit: ita sparguntur interdum nonnulla, quæ feraciùs solum reperiunt. Cum in agro domini, infœlix folium & steriles auenæ dominantur: fœliciores etiam simul nascantur fruges. Quibus maxime in locis versatur scelerum omnium turpitudo: in illis inueniam fortassis aliquos qui salutem diligunt animarum. Non perdunt semper operam, qui in fluentem aquam panem proijciunt. Quod si ex infinita pereuntium turba vnum retrahere, vnamque deo animulam lucrari possim, amplissimos huius laboris fructus me cepisse iudicabo.

Christiana pietas inter domesticos quam apud extraneos grauiores reperit inimicos.

Sed inter omnia illa, filij charissimi, quæ haud iniustè à nobis hoc tempore deplorari possint: nihil acerbius iudicari debet, quàm quòd Christianæ pietati, inter domesticos, quàm apud extraneos inimici multò grauiores existunt. Religionis enim sanctitatem illustriorem quodammodo, hostilis acerbitas reddit: sed omni dignitate priuat, fallax, & insidiosa quies: cum in vincula, in cruces, in flammas, in grauissima tormenta rapitur, incredibiles sui amores excitat: sed cum ab hominibus improbis defenditur, amittit plerunque venustatem, & decus: obtinuit olim victoriam, quotiescunque in certamen processit: sed iam domesticorum fraude, & perfidia tam grauiter debilitatur, vt omnibus in locis impietati cedat.

D. Quòd

Quidnam in causa est quod qui veterem religionem profitentur haud veterem amplectuntur puritatem morum.

Quòd si inter eos tantum dominaretur nequitia, qui fidei castitatem spurcissimis opinionibus violârunt, & omnem cum pijs societatem reliquerunt: minimè mirum Iudicarem. Sed quòd qui sanctissimam religionem profitentur, haud sanctas ineunt viuendi vias: quòd in locis pietati consecratis impune exultat omne flagitiorum genus: quòd tam multi Christiani quorum opiniones respuunt, eorum facta imitantur: & quorum virtutes laudant, ijs vita, ac moribus se dissimillimos esse ostendunt; & mirum pariter, & indignum mihi sæpe videri solet. Cuius tamen rei causam is admirari desinet, qui rectam hoc tempore pietatem verbis doceri: sed ad id quod docetur moribus exprimendum, parum rectas adhiberi vias, diligentius animaduertit. A peccando homines, vel publicæ disciplinæ seueritate, vel priuata singulorum abstinentia, & Ieiunijs, vel pastorum fide, ac diligentia fœliciter nonnunquam abduci possunt. Sed is mentium nostrarum error est, & ea deprauatio voluntatum, vt quę ad minuendas improbitatis vires quicquam valent, hoc tempore omnia repudiemus. Rationi repugnantes animorum affectus, nulla re magis quàm abstinentia reprimi, & coerceri patet. Sed quis est, qui vel priuatim Ieiunat, vel Ieiunia ab ecclesia publice indicta obseruat? quis non potiùs ad irritandam gulam terra, marique delicias quærit? Deterrentur multi à flagitijs, dum homines sceleris apertè conuictos, nec in piorum societate retineri, nec cùm exclusi sunt, nisi peccata priùs deplorârint, vllo modo recipi perspiciunt. Nos ad ea, quæ corrupta sunt, scalpellum non adhibemus: nos mali contagionem latius indies serpere patimur: & dum in singulas partes clementes videri volumus, in totum corpus sæuitiam exercemus. Haud paucos à nequitia, fideles pastores, tum monendo, tum hortando, tum liberiùs etiam increpando retrahunt: sed annon fere iam omnia

sunt

sunt plena mercenariorum? qui ne speratam mercedem amittant, homines flagitiosissimos liberiùs affari timent: & quia timent, tacent: quia tacent, fugiunt: dum infœlices animulæ in fauces incidunt lupi voracissimi? Vt alia omnia, ita Christi inprimis ecclesiam domestica pace florere, & discordia tanquam flamma diuastari, manifestius est quàm vt negari posit. Sed multi iam contentionis, quàm concordię authores haberi cupidiùs expetunt: multi opiniones, quàm fratres ardentiùs diligunt: & victoriam auidiùs quærunt, quàm infirmorum salutem: multi perspicacem ingenij solertiam in rebus temere innouandis ostentare, quàm pijs maiorum institutis modestè parere longè putant gloriosius.

Quidnam in causa est quod qui veterem religionem profitentur haud veterem amplectuntur puritatem morum.

Sed cùm haud vllum fuerit huc vsque tempus, quod non certa quædam malorum genera infœlici fœcunditate peperit: nescio tamen quo modo fit, vt quæ separatim antea diuersis ætatibus procreata fuerāt, ea simul omnia in Christianum orbem hoc tempore irrumpant. Cùm primum salutare euangelij lumen terrarum orbi illuxisset: statim ego, quæ fausta mihi omnia, ac fœlicia promittebam, in hostiles gladios, in flammas, in grauissimas suppliciorum acerbitates incidi. Cùm autem omnia, quæ ad innocentium cladem, ac ruinam, vel malitia excogitare, vel audacia suscipere, vel vis, & feritas præstare, potuisset, non sine maxima ægritudine subijssem: decem quidem persequutionibus, tanquam funestissimis bellis vehementiùs agitata, ad fœlicia Constantini tempora tandem deueni. Sed hac ætate tametsi minùs quàm olim in sanctorum corpora sæuiatur: haud minùs tamen hominum Christo vere seruientium animi, luctuosa pietatis ruina cruciantur. Non tam multi iam tyranni Christianum nomen penitus delere conspirant: sed plures quàm vnquam antea simulatores, quod verbis profitentur, reipsa oppugnant. Olim Satanas, vt Leo in piorum

Dispulsæ olim hæreses ex orco in orbem reuocantur.

perniciem feritate incubuit: sed latenter nunc vt astutus serpens spargit nequitiæ virus: & quoniam aperta crudelitate haud multum profecit, varijs iam insidijs virtutis robur grauissimè labefactat. Quod si à Christo excidere, quàm priuari diuitijs: mente cruciari, quàm corpore affligi: conijci in Tartara, quàm breues in terris calamitates subire: multo grauius haberi debeat: tum certe hoc tempore, cùm tam multi diuitias retinent, & fidem amittunt: corpus delicatè curant, & negligunt salutem animorum: & æternos etiam cruciatus imprudenter accersunt, vt desituras statim molestias declinent: vehementior quàm vnquam antea persequutio grassari videatur. Olim cum cœlesti benignitate aliquantulum repressus esset persequutionis ardor, nefarios continuò errores, ad profligandam pietatem, perpetuus ille bonorum hostis inter Christianos profudit. Ætate autem nostra, vt nullum sit malum, quo non miserè Iactetur Christianus orbis, præter persequutionum acerbitates, quæ me ac meos omnes grauiter affligunt: & præter infinita prope scelera, quæ superior ætas haud vnquam aspexit: in lucem ex orco retrahuntur profligatæ olim hæreses: & tenebris diu sepulta errorum monstra, à fœdissimo spiritu rursus animantur. Ac olim quidem, aliæ hæreses, alijs ita succedebant, vt non vno, & eodem tempore omnes oppugnarent pietatis partes: sed iam vt in orbe simul versantur, ita religionis Christianæ totum simul inuadunt corpus. Quod verum esse, facilè intelligat, qui quænam olim hæreses in orbem irruperint: & quænam hoc tempore, ab erebo, & profunda nocte excitatæ sint, diligenter perlustrabit.

Qui olim extitêre hæretici, vel execrandi erroris venena in viscera mea infuderunt: vel venustam sacrosanctæ disciplinæ vestem mihi ademerunt: vel morum puritatem, innocentiam vitæ, omnes officij regulas,

&

& rectæ rationis normas, atque præscriptiones violârunt. Ad peruertendam cœlestis doctrinæ veritatem, nefarij erroris venena potissimùm illi sparserunt: qui vel vnam, & simplicem dei naturam, vel tres in natura vna personas negârunt. In hoc etiam numero comprehendantur, qui æternum Dei λόγον, humanam sibi naturam non assumpsisse: qui hominum vitam, ac salutem Iesum, non ante Mariam virginem extitisse: qui humanam Christi naturam, à diuina post vnionem penitùs fuisse absorptam, vt vini guttam immensa prope maris magnitudo statim absorberet: qui duas in Christo personas diuisas mansisse, & prorsus separatas, ita vt alius esset Dei filius, alius Mariæ virginis: & ne multa, qui vel tantas esse hominum vires, vt sine cœlesti gratia perfectam legi obedientiam præstare possint: vel in Christi morte ad redimendum genus humanum non satis esse efficacitatis docuerunt. Optimæ illi disciplinæ resciderunt neruos: qui leges ecclesiasticas venustatis, & conuenientiæ causa institutas: qui indicta publicè ab ecclesia Ieiunia: qui eam, quæ sæpe mihi salutem attulit, episcopalem authoritatem improbè violârunt. Honestos illi mores grauissime olim corruperunt: qui virtutem, & vitium inter res planè indifferentes comprehendi: qui pietati consentanea sine laude præstari, & sine scelere scelus admitti: qui rectum, & improbum opinione, non natura distare: qui non fœliciorem esse illum, qui beatum, ac immortale numen religiosè adorat: nec deteriori eum versari statu, qui omnibus se flagitijs obstringit, spurcissimè affirmârunt. Omnium hæreseων stirpem, & semen infœlicissimum Simonem Magum haberi conuenit: qui cœlestem de vna Dei natura doctrinam rescidit, & subsistentes in diuina essentia confudit personas, & flagitiosam

Dispulsæ olim hæreses in orbem reuocantur.

Dispulsæ olim hæreses in orbem reuocantur.

ſam morum turpitudinem ſine vlla dubitatione defendit, atque approbauit. Dixit ſe in monte Sina Iudæis legem in Patris perſona tuliſſe: tempore verò Tiberij, apparuiſſe in perſona filij: poſtea ſe in linguis igneis ſpiritum ſanctum in apoſtolorum pectora immigrâſſe: Chriſtum autem nec veniſſe, nec quidquam à Iudæis pertuliſſe mali. Ex huius varia, & multiplici, & in omnes partes diffuſa nequitia, quod aliud alius apprehenderat: proſeminatæ ſunt diuerſæ quaſi familiæ hæreticorum, diſſentientes eæ quidem inter ſe, & multùm diſiunctæ, & diſpares, ſed immani tamen Chriſtianæ pietatis odio communiter omnes conflagrabant. Ex his Tritheitæ, qui tres deos fingunt: Gnôſtici, Marcitæ, Marcionitæ, Manichæi, qui duos deos, & duo rerum principia ſtatuunt: & Saturniani, Baſilidiani, Cerdoniani, qui alium Iudæorum, alium Chriſtianorum Deum faciunt: & Ætiani, qui verum deum, qualis quantuſque eſt, comprehendi poſſe dicunt: & Anthropomorphitæ, qui corpoream eſſe dei naturam contendunt, puriſsimam illam æternę maieſtatis eſſentiam oppugnâſſe videantur. Tres in diuina eſſentia perſonas confuderunt, Sabelliani, qui vnam eſſe dixerunt in trinitate perſonam, quæ diuerſis nominibus patris filij & ſpiritus ſancti appellatur: Marcelliani, qui docuerunt nihil aliud eſſe trinitatem, quàm vnius & eiuſdem rei, vt ceræ extenſionem: Arriani, qui negârunt patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, vnius eſſe, & eiuſdem naturę: Macedoniani, qui ſpiritum ſanctum non deum, ſed dei miniſtrum affirmârunt: Hierarchitæ, qui perſonas in trinitate eſſe vnius lucernæ duo luminaria ſtatuerunt: Metangoniſmonitæ, qui finxerunt perſonas eſſe tanquam vaſa, alia in alijs contenta, & tanquam pelles in ſeſe implicatas. Diuinam Chriſto naturam ademerunt Cerinthiani, Ebionitæ, Pauli Samoſateni, Artemonis, ac Photini odoſi fœtus, qui Chriſtum Ieſum ante virginem Mariam extitiſſe

perne-

pernegârunt. Hominis naturam, esse rem plane pollutam, & impuram, nec a seruatore nostro fuisse assumptam docuerunt Ophitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi. Christi corpus ex quatuor elementis & syderibus fuisse compositum dixerunt Apellitæ. Cœleste, & spirituale fuisse Christi corpus, non terrenum, & humanum, affirmârunt Valentiniani, & Apollinaristæ. Naturarum vnionem in Christo oppugnârunt Eutichiani, Iacobitæ, Armenij, qui naturam humanam a diuina fuisse absorptam contendunt. Duas, & separatas in Christo mansisse personas affirmat fædissima Nestorij propago. Filium Dei, in filium Mariæ in baptismo descendisse docent Manichæi. Diuinam repudiâsse gratiam videantur Pelagiani, qui eam esse Iactant humanarum virium perfectionem, vt cœlestis medici auxilium haud necessário requiratur. Et ne hanc sentinam diutiùs commoueam, ad expianda hominum flagitia minus efficacem fuisse Christi mortem, Ebionitæ, Cerinthiani, & Nazaræi existimârunt: dum necessario obseruandas esse veteris legis ceremonias affirmarent: *quas non tam carnaliter retinere, quam spiritualiter intelligere, ex sacrosanctis apostolorum præscriptis Christiani didicerunt*. Ac tot modis Satanas, dimissam ê cœlis Euangelij doctrinam, violare olim contendebat.

Dispulsæ olim hæreses in orbem reuocantur.

Sed vt synceram veritatis doctrinam, qua tanquam cibo maxime salutari recreor, & reficior, disperso errorum veneno corrupit: ita ordinis, & venustatis conseruatricem disciplinam ê rebus humanis eijcere omni studio laborauit. Impulsus enim ab eo πτωχοτρόφος Aerius, nec presbyteris episcopos dignitate præire: nec indicta publicè Ieiunia obseruari voluit. Omnibus vero hæreticorũ familijs hoc maxime videtur commune; quòd nefariam morum turpitudinem approbârunt. Nam Iudicio corrupti, plerunque etiam vita impuri existunt: & cum mentis cœcitate, voluntatis deprauatio haud rarò copulatur.

Dispulsæ olim hæreses in orbem reuocantur.

copulatur. Modestiam, pudorem, & verecundiam veritatis lumen excitat: sed in errorum nocte omnia flagitiorum genera, impunè, & liberè exultare solent. Ab impuris Satanæ claustris nihil fere sceleris abest: at veræ quidem ecclesiæ nota minimè fallax haberi debet, quòd supra naturam multa, sed nulla naturæ legi contraria: quòd noua consuetudini, sed non opposita rectæ rationi vnquam probauit. Quæ meorum quispiam hac de re scripsit, recitare Iuuat: *nihil (inquit) in Christiana ecclesia turpe, aut flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur: vbi verè dei aut præcepta insinuantur: aut miracula narrantur: aut dona laudantur: aut beneficia postulantur.* Ad hunc modum, veteres hæretici doctrina venenata salutem mihi, & vitam penitùs adimere: funestis dissentionibus Christianam pacem, & concordiam labefactare: optime constitutam ab apostolis disciplinam, turbulenta ordinis confusione perfringere: & Christi munere, ac beneficio concessæ mihi sanctitatis vesti sceleris, & nequitiæ sordes aspergere, omni studio cupierunt.

Quæ mala diuturnitate temporis haud quicquam imminui: sed augeri potiùs, grauiorum malorum accessione, facile videamus. Veteres illi, nefarias de essentia diuina opiniones sparserunt: sed iam perditi planè homines, omnia quæ traduntur de præpotenti numine petulanter irrident. Plures illi deos rebus humanis præsidere existimârunt: sed audacior iam impietas, nullam esse vim cœlestem, & numen diuinum profiteri haud veretur. Non minùs execranda olim fuit eorum opinio, qui subsistẽtes in natura vna tres personas scelerate confuderunt. Sed quid? Annon ætas etiam nostra, similia vidit errorum portenta? annon extitêre permulti, qui tres in essentia vna personas, nouum idôlum, turrim Babel, deum fictitium, Satanæ stratagema, Cerberũ tricipitem, & tricorporeum Gerionem (horresco referens!) appellare minimè dubitârunt. Sed impurissimos errores ab alijs in lucem

cem reuocari quis mirabitur? cùm magni vir Iudicij Erasmus, quem propter summum ingenium, & præstantem in omni literarum genere scientiam, amare meritissimò omnes debent, Arrianis se fauere haud obscurè interdum ostendat? Quòd de viro tam celebri minimè dicerem, si non permultos viderem eius authoritati nimium attribuere. Verum eruditissimi hominis, capitalis præsertim error, permagnam errandi occasionem alijs præbet. Quis enim non id ratum habebit, quod ab authore tam laudato probari perspicit? Erasmi autem ego libros, vt non contemni: ita non nisi cautè, ac prudenter legi vellem. Habent illi, quod de Ægypto dixit Homerus, permulta bona: & habent haud pauca rursus admixta mala. Ego autem noxia cum vtilibus, & cum medicinis maximè salutaribus, errorum venena, simul hauriri nollem. Ac totum fortassis Erasmum reijci, quam totum approbari præstaret. Nefarias etiam de admirabili verbi incarnatione opiniones, homines olim impurissimi semin ârunt. Quas tametsi fœliciter dispulsas superior ætas vidit: ad dissipandas tamen omnes, quæ supersunt, pietatis reliquias ex Orco in terras redierunt. Nam si (vt contendunt multi) personalis vnio in eo consistat, quòd omnes diuinitatis proprietates humanæ Christi naturæ accidentali modo attributę sunt: tum diuinitas Christo externa quadam ratione assistit, non ὑποστατικῶς vnitur. Quod si admittatur; duas in Christo naturas, & vnam personam quid temere credimus? quid verbum cum carne, deum cū homine substātialiter vniri inconsideratè affirmamus? Nam quæ accidētario sunt coniuncta modo, haud vnam personam constituent: & quod extrinsecùs alteri assistit, id alteri hypostaticè adiungi haud vnquam rectè dicetur. Sed grauius ex his nascetur incommodum. Nam si vera sint ea, quæ tam pertinaci studio multi defendunt: in eo tantum piorum salus, & vita, Christus à cæteris hominibus distabit, quod pluribus sit ornatus donis. Quod si approbatum fuerit, antiquos patres haud im-

Dispulsæ olim hæreses in orbem reuocantur.

Dispulsa olim hæreses in orbem reuocantur.

meritò reprehendamus, quòd Nestorio vera dicenti noluerunt assentiri. Sed reuocentur omnia, quæ imprudenter aliquando fuerunt instituta : & ab errore ad veritatem desciscere haud indecorum habeatur. Disputationes illas refellito doctissime Cirille, quæ Nestorium, quasi vinculis constrictum, & colligatum tenuerunt. Pœnitentiæ tuæ te pœniteat dilecte mihi Theodorete : quòd à Nestorio ad Catholicorum societatem permeare, honestum inprimis, & pium Iudicâris. Decreta tua rescinde Chalcedonensis Synode, quæ hominem vera sentientem (si vera dicant huius opinionis amatores) à piorum societate eieceris. Atque si fas sit dici, nimis tu Christe Iesu fuisti crudelis, quòd hominis optimi linguam à vermibus arrodi voluisti. Nam docentur apertè, quæ Nestorius olim docuit : & quonam ille modo dei filium Mariæ filio asisstentem finxit : eodem plane modo diuinitatem Christo asisstere contendunt homines permulti, qui errorum vindices sese acerrimos, & veritatis patronos maxime synceros esse gloriantur. Sed ab illis ego hominibus libenter sciscitarer, totamne trinitatem, an secundam tantùm in trinitate personam, ex virgine carnem sibi assumpsisse dicent ? si secundam tantum personam fuisse incarnatam statuant : quid non ea, quæ secundæ personæ sunt propria, carni attribui dicunt ? Nam cùm personalem vnionem, in proprietatum communicatione consistere existiment : cúmque non filio propria, sed tribus personis communia attribui velint humanæ naturæ : humanam profectò naturam non tantùm à filio, sed à patre, & spiritu sancto fuisse assumptam, necesse est vt fateantur. In Orcum igitur licet detrusus lætetur Sabellius : quam enim ille opinionem, vt filiolam amplectebatur vnicam : eam permulti non defendunt solùm, sed varijs modis adornant : vt tanquam bella meretricula impuros posit homines in nequitiam pellicere. Quid multa ? qui carni Christi vbiquitatem, & omnipræsentiam

barbara,

barbara, bone deus, & monstrosa vocabula, sed barbaræ, & monstrosæ huic philosophiæ inprimis accommodata attribuunt, germanos Eutichetis discipulos se esse declarant. Et quod maximè mirum haberi debet; qui non monachos modò, sed monachatum penitùs deleri cupiunt: hi Monachi post homines natos teterrimi spurcissimos probant errores. Sic veteres quidem hæreses, sed nouo more depictas, hac infœlici ætate renasci constat. Sic quas olim res pietati maximè infestas Diabolus perspexit: easdem crebrò repetere, & scelerate renouare solet. Sic omnes Christianæ doctrinæ partes hoc tempore nefaria fraude, & perfidia oppugnari, quotidiana testatur experientia.

Dispulsa olim hæreses in orbem reuocantur.

Sed quid? verane tantùm doctrina corrumpitur? annon sancta etiam violatur disciplina? Id si ita esset, externa saltem officia homines, maiori pudore, & modestia præstarent. Sed nimirum, vt cùm intùs fuerit corruptus vitalis humor, corporis etiam superficies necessario inficitur: ita cùm falsæ doctrinæ venenum in ecclesiam infunditur, perturbatio disciplinæ sequitur, & magna confusio. In subuertenda autem disciplina, priscis ecclesiæ perturbatoribus, multi hoc tempore tam longè præstiterunt: vt veteribus illis, vel ad mala solerter excogitanda astutia: vel ad violandas res optimè constitutas malitia: vel ad repudiandum orbis consensum audacia defuisse videatur. Aerius huius factionis author, & princeps scelestissimus, si, quæ in terris geruntur, in Orco persentiri possint: opiniones suas acriter defendi, non tam lætabitur fortassis, quam omni se nequitia superatum dolebit. Libera enim ille Ieiunia esse voluit, sed nostri admittunt nulla: presbyterum episcopo dignitate adæquandum censuit: episcopatum nostri à diabolo institutum contendunt. Deum nec scelere offendi, nec placari virtute, impuri olim hæretici docuerunt. Quam sententiam Christiani orbis Iudicio

Dispulsæ olim hæreses in orbem reuocantur.

damnatam, hoc tempore Antinomi,& Libertini infœliciter defendunt. Haud pauci etiam, quòd varias, & discrepantes de religione opiniones vbique excitari perspiciunt: omnem audacter religionem contemnunt: & morum irrident sanctitatem, & innocentiam. Quæ persuasionis fœditas in omnia se loca tam longè, lateq; diffudit: vt toto ecclesiæ corpore vix quidquam syncerum deprehendi posit. Hanc generis humani labem grauiter à multis fuisse refutatam haud vnquam pernegabo. Sed tamen quod res ipsa fateri cogit, necessario fatendum est; virtutem laudari ab omnibus, sed misere interim frigere: nequitiam reprehendi, sed in rebus humanis longè latéque dominari. Nam cùm veteris disciplinæ seueritas publicè laxetur, & quæ priuatim homines in officio continere posint, ab omnibus repudientur: Virtutem tam eximijs orbatam adiumentis exarescere quis tandem mirabile Iudicabit? Mihi certè, qui ad virtutem adhortantur, & nullas subigendæ carnis rationes admittunt, perinde facere videntur: ac si quis incorrupta sanitate frui cuperet, & tamen humorum intemperiem nimia ciborum abundantia nutriret: aut si quis ignem, quem omni studio restingui præcipit, infuso in flammas oleo adaugeret.

Sic dispulsas fœliciter antiquas hæreses, maioribus cumulatas flagitijs renasci: sic quæ temporum interuallis disiuncta erant olim errorum portenta, coniunctim hac ætate in orbem irrumpere: sic ad pietatem euertendam, & veteres machinas adhiberi, & nouas insuper comparari fraudes: sic anteactis temporum spacijs separatim fuisse oppugnatas Christianæ religionis partes, sed totum iam simul labefactari corpus manifesto patet. Ac certe, si quod verum est, fateri oportet, veteres illos hæreticos hi nostri, qui iam existunt, scelere, ac improbitate tam longe superârunt: vt nefarios errores

rores illi concepisse, nostri peperisse: illi inchoâsse, nostri perfecisse: sparsisse illi, nostri collegisse: illi ad nequitiam rudes, ac imperiti accessisse, nostri plures inuenisse nocendi vias: improbitatem illi impolitam reliquisse, nostri confirmâsse, vestijsse, & omnibus modis ornâsse videantur. Quæ scelerum illuuies, quàm luctuosas nobis calamitates afferet, etiamsi temerarium sit pronunciare de rebus venturis, haud difficile tamen mihi videtur certo augurari. Nam ob hæreses pertinaciùs defensas, à iustissimo numine reiecta permagna terrarum orbis pars, quanta iam nobis impendet supplicij magnitudo, palàm, & aperte clamat. Non mutatur voluntate cœleste numen: nec quod semel condemnauit, vnquam probabit: vt nec virtuti irasci, ita nec nequitiæ fauere potest, nec salutarem, quam promulgauit doctrinam, impunè violari patietur. Sempiterna Iustitiæ natura hoc postulat, vt qui in simili sunt culpa, consimiles omninò pœnas subeant: & hoc Iuri, hoc æquitati, hoc rectæ rationi maximè conuenit: vt grauoribus peccatis grauiora supplicia decernantur.

Maximis gentibus ob hæreses pertinacius defensas grauissima supplicia deus inflixit.

Quo vehementiùs a vobis peto liberi suauissimi, vt quo in statu versentur res vestræ, diligentiùs ponderetis. Cùm enim ob impurissimos errores pertinaciùs defensos tot validas gentes, tot præclaras ciuitates, tot loca pietati consecrata euerti constet: sempiternam vobis futuram impunitatẽ, nolite, nolite filij mihi multo charissimi temere existimare. Quod si flagitiosis tantum hæreseω authoribus pœnas, quas commerentur, infligi viderem: haud tam magnum ea res mihi dolorem afferret. Sed illud est, quod dies, ac noctes me cruciat: illud est, quod a metu nunquam libere me respirare finit: quod omnes, qui nefarijs opinionibus assensi sunt: omnes qui funestum hoc malum, cùm prohibere potuissent, latiùs manare permiserunt: omnes, qui ex tam multiplici opinionum varietate haud contraxerunt molestiam: omnes

 item.

Quæ alijs ob nequitiam inflicta sunt pœnæ, nobis imminent atque impendent.

item respublicas, quæ tantorum scelerum domicilia, & quasi officinæ extiterunt: & vnà cum rebuspublicis, innocentes interdũ, ad quos nulla peruasit mali contagio, tanquam corrupti corporis partes integras, communi clade concidisse video. Quam Iudicij diuini seueritatem, ante oculos mei filij, vobis semper obuersari vellem. Eo enim pacto & nequitiam, & nequitiæ fœtum, ac sobolem pœnam facilius declinetis. Quod si vobis, aut exilium, aut mors, aut paupertas, aut nuditas, aut fames immineret: minus animo commouerer. Nam qui corpore moriuntur, & anima viuunt: qui priuantur opibus, & retinent virtutem: qui fidei causa ê sedibus suis sunt eiecti, & Christo Iesu constanter adhærent: qui ciborum inopia laborant, & saturantur cœlesti manna: qui sordidis sunt induti vestibus, & Iustitia præclare vestiuntur, omnium mihi videntur longe beatissimi. Illud magis vereor, filij charissimi, ne mentis cæcitate, ne ignoratione numinis, ne sacrosancti verbi penuria, ne virtutum naufragio, non Iactura opum, ne separatione potiùs â gratia, quàm vel morte, vel exilio admissa vobis flagitia vindicentur. Nefarios enim errores error interdum sceleratior punit: & grauissima nequitiæ vindex est ipsa nequitia. Vtinam vero inanem esse hunc meum timorem ipse rerum euentus declaret. Vatem enim falsam, quam veram calamitatum prænunciam me haberi: & temere, ac imprudenter de futuris augurari: quam ex malorum prædictione sapientiæ laudem assequi mallem. Sed vt illam Priami Cassandram prænunciasse semper vera, sed a ciuibus suis haud vnquam approbatam fuisse dicunt, quòd tristia, acerba, & patriæ maxime calamitosa semper prædiceret: ita plurimum vereor, ne Iucunda, quàm salutaria: mendacia bellè depicta, quàm vera cum asperis, & acerbis permista maiorem vobis voluptatem afferant: & ne quod euenire nolletis, id nunquam putetis euenturum. Sed profecta cùm cœle-

stis

ſtis Iudicij ſeueritatem, quæ vt omnem hominum nequitiam, ita ad violandam fidei puritatem fraudes perfidè excogitatas grauiſsime vindicare ſolet: cùm nefaria flagitiorum monſtra, quæ liberiùs inter Chriſtianos, quàm inter apertos pietatis hoſtes, & audaciùs volitant: cùm ipſius nequitiæ naturam, quæ tanquam miſerabile incendium, ex aliarum rerum euerſione vehementiùs creſcit, & niſi omnia priùs diſsipârit, haud vnquam reſtinguetur: cùm permultas vrbes, & gentes potentiſsimas, ob peccata minora, â Iuſtiſsimo numine reiectas animaduerto: ne conſimilis vobis obueniat calamitas, ſæpe & multum pertimeſcere ſoleo. *Hortatur liberos eccle. vt alienis ſaltem periculis moniti ab omni ſcelere abſcedant.*

Quid enim dicetis? aut quam tot ſceleribus afferetis defenſionem? Num quod cœleſte numen a vobis requirit ignoratis? hoc quidē non veniam vobis cōciliabit, ſed augebit culpam: cùm in eius, quod intelligere poteſtis, amplecti debetis ignoratione, contineri videatur maximum ſcelus. At eccleſiam ſuam deus haud penitùs diſſipari permittet. Eſt id certe verum: ſed tamen nulli, vel familiæ, vel ciuitati, vel genti ſe aſtrinxit. Haud vnquam me penitùs ſuperabit poteſtas inferorum: ſed in lunæ modum varias patior, & accretiones, & diminutiones luminis. Et profectò ſi non breui repreſſæ fuerint nequitiæ vires: ſyluas ego, & ſolitudines, & loca maximè deſerta rurſus cogar repetere. Ciuitatum nullus me amor capit: in tectis, & ædificijs diutiùs verſari non libet: in magna hominū frequentia haud vllam expecto pacem: montes mihi & lacus, & carceres, & voragines ſunt multò tutiores. Quid ergo? perpetuòne vobis ſe futurum præſidio deus promiſit? eſto, ſed eam arbitror â vobis cōditionem requirit, vt Iuſtè, innocenter, ac piè viuatis. Si fœderis conditionem impiè negligitis: tum fœderis fructum ad vos peruenturum quid ſtultè ſperatis? Locine cuiuſpiam ſanctitas animos vobis attollit? Sed quo demum loco ſecuri eſſe poſsitis, cùm nec Adamum paradiſus â

Exempla cœlestis iræ in nequitiam.

nequitia: nec â ruina Satanã ipsum cœlum tuebatur. An vero illud charissimi filij maiorem vobis audaciam affert, quod cũ tam multi sint reiecti, nonnullas Christiãæ fidei reliquias adhuc retinetis? sed hoc confidentiam vobis imminuere, non timorem auferre debet. Neque enim tuti estis à periculo, cum flammis deflagrant vicinæ ædes: & quæ peccata grauissime in alijs vindicata fuisse constat, ea vobis mei filij haud impunè dimittentur. Vellem ego, vt maximarum ciuitatum, quæ quòd pietatem repudiabant, à Christo sunt repudiatæ, calamitosas ruinas: aut si adhùc sub Mahomete manent, ruina omni acerbiorem eum ipsum, in quo iam versantur statum, ante oculos vobis ponatis. Ita enim quid vobis sit agendum, alienis forsan periculis edocti, rectiùs intelligatis. Cuinam in orbe ciuitati, maiora concessit deus quàm Hierosolimis? Sed ô duras eorum mentes, qui peccare non metuent, cum locupletata olim tot bonis Hierosolyma, & iræ cœlestis, & infœlicitatis humanæ monimentum manere perspiciunt. Nulla vnquam ciuitas sacrosanctam Christi doctrinam, aut libentiùs accipere, aut constantiùs tueri, aut lætiùs alijs propagare mihi visa est, quàm Christianorum altrix Antiochia. Sed heu nihil est in rebus humanis stabile, nihil firmum: nam Christo repudiato nobilis Antiochia, Mahometem, vt magnum magni dei prophetam colit. Collustrate, si lubet, illustrem Ephesum, quæ â Paulo primum ad fidem conuersa, & â Iohanne apostolo postea confirmata, clarissimum pietatis domicilium diu permansit. Sed hic æternæ lamentandi causæ nobis afferuntur. Nam nihil iam in Epheso præter violatæ religionis misera vestigia, & barbaræ fœditatis indicia certissima videre possumus. Ab Epheso, si placet, migremus Alexandriam. Hic etiam omnia nobis dolorum plena occurrunt. Nam quæ olim ciuitas humanitate insignis: optimis artibus exculta: religione clara: episcoporum præstantia, & sanctitate

Exempla cœlestis iræ in nequitiam.

titate fœlix, inter omnes, & beata haberi poterat: ea iam immanitate barbara: errore cæca: scelere turpis: & Mahometica superstitione cœlo, terræque inuisa Iudicetur. Relinquamus alias orbis partes: & perlustremus Eurôpam. Hîc enim permultæ nationes manus nobis tendunt: & vt destinatas sceleri pœnas cautè declinemus, miseria sua monent. Sed si in scelere persistamus, fœlicia quonam iure nobis promittamus fata: cùm orbis lumen Græciam, & Græciæ lumen Athenas, ob spretam indigne Christianam pietatem misere concidisse: cúmque ingens quondam Christianorum decus Bizantium, non tam nouorum dominorum sæuitiam, quam improbitatem veterum inquilinorum adhuc lugere videamus. In hac tristi virtutum clade, ac ruina supersunt nonnulli, qui Christianos se esse, & haberi volunt. Sed vtinam hos verè meos appellare possem. Permulta enim mala è vicinis Turcis contagione quadam hauriunt: & quod Menelao è Troia redeunti dixit Tyndareus βεβαρβάρωνται ἐν βαρβάροις χρόνιοι ὄντες, dum inter Barbaros diutius versantur, ipsi plane fiunt barbari. Nam vt qui omnibus horis aliquid atrociter fieri vident, aut audiunt, etiamsi natura sunt mitissimi, assiduitate tamen molestiarum sensum omnem humanitatis amittunt: ita Christiani illi, qui immania Turcarum facinora assiduè perlustrant: ab auita, & prisca Christianorum degenerant innocentia: & in Turcicam feritatem paulatim dilabuntur. Atque vt eloquentia è Piræo euecta, cum multas gentes peragraret, salubritatem, & sanitatem Atticæ dictionis continuò perdidit: eodem planè modo religio, cum Mahometica fœditate permixta, & barbaris quibusdam oblita moribus, sibiipsi quotidiè facta est dissimilior: & prioris puritatis vix tenuem vmbram aut imaginem retinet. Quod si quis iniustius dictum putet, inspiciat is epistolas à Bizantij patriarcha ad Germanos quosdam missas: & siue

Exempla cœlestis iræ in nequitiam. rerum sanctißimarum intelligentiam requirat: siue elegantiam orationis: inter ipsos Græcos nihil veteri Græcia dignum reperiet. His exemplis quàm inuisa deo est omnis impietas, manifesto declaratur. Quæ seueritatis diuinæ exempla ante oculos vobis semper collocari vellem: vt â scelere eo pacto deterreri poßitis. Nam si ad recte agendum, allicere vos non poßit, admirabilis virtutis pulchritudo: â nequitia tamen, vt spero, pœnarum acerbitas vos deterrebit: & quas pœnas, si non à scelere quamprimum abscedatis, haud iniuste expectetis: ciuitatum olim florentißimarum tristes ruinæ certißimè ostendunt.

Sed cum intestinis Christianorum dissentionibus, oriens misere deflagraret: læta, ac fœlici inprimis pace occidens fruebatur. Christianæ enim fidei constantiùs adhæsit: & susceptos in oriente opinionum errores, prudenter omnino depulit. In sacrosanctis namque pietatis negotijs, simplicem modestiam, non pugnaces disputationes: synceram fidem, non curiosam perquirendi libidinem, adhibendam censuit. Verum cum pontifex Romanus, cuius authoritas propter vrbis amplitudinem, in occidente valuit semper plurimum, non ferendam in ecclesia potestatem sibi vendicaret: cúmque propter eum quem opinionis errore sibi effinxit principatum, Iura omnia diuina, & humana peruerteret: religio quidem Christiana, ad id vsque temporis splendida, & magnifica, in hac terrarum parte paulatim imminui, & labefactari cœpit. Ac vt me ex antiquis sedibus, ac domicilijs, Mahometis perfidia in oriente depulit: ita tumida præsulum ambitio, in occidente grauiter vulnerauit. Illa ferro, & facibus me vbique persequuta est: hæc impurißimis aspersit sordibus. Illa salutem mihi, ac vitam penitùs adimere voluit: hæc funestam mihi intemperiem attulit: & omnium fere morborum causam.

Sed cum infinitis prope malis affecta, & afflicta decumberem: cúmque Sacrosancti Iuris antistites, qui soli remedium mihi salutare afferre potuerant, vel ambitio in alias curas abriperet: vel veternus occuparet: cœlesti benignitate excitati sunt permulti, præclara virtute viri: qui omni me ægritudine releuare summè cupierunt. Quorum laudes, tametsi nulla vnquam obscuratura sit obliuio, quòd grauiter corruptam religionis puritatem, pristinæ elegantiæ, ac nitori restituere strenuè laborarunt: in nonnullis tamen rebus, quod de beatissimis animabus minimè dicerem, si saluo officio reticere possem: labuntur aliquantulum: & communi tenentur culpa erroris humani. Ita enim episcoporum ambitionem, superbiam, negligentiam, cæcitatem, imperitiam, ac stuporem reprehendunt, vt episcopalem interdum ordinem oppugnent: ita superstitionem condemnant, vt permulta simul tollant religionis ornamenta: ita vitiosas partes abscindunt, vt labefactent maxime integras: ita paleam eijciunt, vt optimum quandoq; frumentum repudient. Perinde quasi nec in mentis cæcitate naturæ lumen affulgeat: nec ab hominibus improbis salutares vnquam leges ferantur: nec in perturbato ecclesiæ statu vlla sanitatis vestigia superesse possint. Sed cùm horum virtutes sempiternis laudibus efferri, casus vero, & prolapsiones, quæ sanctissimis viris quandoq; obueniunt, laboribus pro pietate fortiter susceptis obliterari oporteat: importuna tamen quorundam temeritate factum est, vt clarissimorum hominum errores, ac næuos, quos omnibus modis occultari cupio: inuita, & reluctans palàm improbare cogar. Permulti enim hac ætate, in eo potissimum quòd omnia antiquitatis instituta contemnunt: veros, & germanos optimorum hominum discipulos se esse Iactant. Quorum tamen virtutes negligere: vitia verò, quæ naturali infirmitate in sanctissimis hominibus quandoque reperiuntur, peruersè imitari videantur.

Susceptis in oriente hæresibus occidens diu obstitit.

Pontificum Romanorum, & aliorum præsulum negligentia, ambitione, scelere, religio in occidente fuit grauiter inquinata.

Atque hi quidem omnium, quæ vel vetustate sunt collapsa: vel incuria quadam humana in res ecclesiasticas obrepserunt, reformatores optimos se haberi cupiunt. Sed dum vitiosa mihi penitus adimere statuunt, salutaria abscindunt, & maximè necessaria: dum inutiles mihi humores perpurgare sibi assumunt, sanguinem eijciunt, & spiritus vitales: dum aspersas mihi sordes eluunt, ab ossibus carnem, & à carne cutem, crudeliter diuellunt: dum nouam deniq; disciplinæ ideam mihi afferunt, veteris inferunt disciplinæ perturbationem. Quæ dum præstare cupiunt, quòd antiquitatis canitiem, sibi penitus aduersari perspiciunt: sacrosanctam in omnibus antiquitatem contemnunt. Ab optimis synodis opiniones suas condemnari animaduertunt, hanc ob causam, synodorum imminuunt authoritatem, & pondus. Patres non probant, quòd eam, quam effingunt disciplinam, vt spuriam, & illegitimam ab illis repudiatam vident: & quod omnium absurdissimum haberi debet, cùm nulli ferè veterum credunt, sibi tamen in omnibus credendum esse clamant.

De his potissimùm reformatoribus necessario mihi hoc tempore conquerendum duxi. Quamuis enim existunt fortassis alij, qui plura pietatis mysteria oppugnant: grauiora tamen vix vlli mihi damna inferunt. Vt homines enim rerum imperitos facilius alliciant in fraudem: incredibili quodam pietatis studio se flagrare simulant: & actiones maxime nefarias ementita virtutis specie obducunt: & quæ ad innocentium perniciem effundunt, dulcissimo melle circumlinunt, vt haustum auidiùs errorum virus in viscera mea facilius diffundatur. Tam varia autem mihi bona verbis exoptant, vt tanquam inimici penitùs repelli non possint: sed tam atrocia etiam mala afferunt, vt in amicorum numero eos habere, inconsiderata plane sit temeritas. Egregiè simulant pietatem, vt maiorem sibi authoritatem conquirant:

quirant: & quam adepti sunt authoritatem, ad violandum pietatis decus conferunt. Vitia satis acriter insectari solent, sed virtutis interim incidunt neruos: virtutem verbis haud rarò magnificè exornant, sed reipsa alunt, & confirmant nequitiam. De veritate satis splendidè quandoq; disserunt: sed impuros opinionum suarum sequuntur errores: reformationem mihi necessariam esse affirmant, sed præstantissima amputant ornamenta venustatis. Ad ea quæ maxime laborant sananda se accessisse dicunt, sed integra tollunt cum inquinatis: nec tam corrupta resecant, quam syncera conuellunt, & euertunt. Ita vt eos ad partes maxime integras scalpellum adhibere: & carnificinam potius, quàm medicinam facere, haud immeritò quis affirmet. Quid me igitur miserius, aut si in Christi sponsam non cadit miseria, quid me laboriosius vel dici, vel fingi potest: quæ Turcarum immanitate ex oriente eiecta, & infinitis malis in occidente deformata, inter eos ipsos qui vtilitati meæ, in omnibus se optimè consulturos dicunt, vel perpetuam ægritudinem pati: vel remedia admodum sæua, & ipsis morbis longe grauiora sustinere cogor? Nam vt omittamus loqui de illis hæresibus, quæ omnes pietatis partes oppugnant: in hac terrarum parte, vix vlla est regio, quæ non vel superstitione grauiter laborat: vel calamitosæ huius reformationis sentit incommoda. Orbis honos Italia, ipsaque togatæ gentis grauitas tantopere â veteribus celebrata, & vrbium mihi omnium Roma olim charissima, ab antiqua puritate excidit: & inquinatam religionem pertinacius tueri, summum religionis opus esse Iudicat. Vetusto errori Hispania, quam quæuis alia natio veritati constantius adhæret: & quod miserius est, præstantissimo virtutis ornamento nequitiam ornat. Quæ hostiles nunquam acies pertimuit inuicta Germania: intestinis de religione dissentionibus vehementer frangitur. Funestis

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa quæ ecclesia prius habuit malitiosè adimũt.

 ardet

De reformatoribus illis qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa quæ ecclesia prius habuit malitiosè adimũt.

ardet bellis bellicosa Gallia: & religio, quæ cœlesti quadam charitate humanas mentes copulat, & coniungit, omnium iam contentionum habetur semen, & causa. Ecclesias suas probe se admodum reformâsse Belgæ Iudicant: quòd consecratas religioni opes in impuros vsus transtulerunt: & quòd ministros diuitijs virtutem præmijs, præstantissima ingenia, si ad ecclesiastica accedant negotia, omni spe honoris priuârunt.

Sed cùm in omnibus fere terrarum partibus, varijs incommodis grauissimè agitarer, ita vt locum vbi tutò requiescerem, vix vspiàm reperire possem: miserta est calamitatum mearum, humani generis decus, ac deliciæ princeps Elizabetha: & quod nulla vnquam obscurabit obliuio, clarissima virgo, & parens patriæ, mihi, & virgini, & matri piorum stabilem in Anglia sedem, ac domicilium concessit. Qua quidem re tametsi maximam mihi vtilitatem attulit: ad hanc tamen metam non adhæsit præstantissimæ principis diuina virtus: sed longius est progressa: & beneficia mihi, si numerum spectemus, tam innumerabilia: si magnitudinem, tam præclara detulit: vt post Constantinos illos, & Theodosios, neminem vnquam religioni Christianæ syncerius fauisse: nec (*quod Esaias vates olim prædixit, erunt reges nutricij tui, & nutrices reginæ*) vnquam certius quam hoc tempore, in Anglia gentium mihi omnium longe charissima impletum esse, Iure possim affirmare. Sed de admirabili principis post homines natos clarissimæ, in fœmineo præsertim sexu constantia: de inusitata, in molli, & delicata virginis natura, magnanimitate: de incredibili, & in ipsis viris vix vnquam reperta prudentia: de cœlesti in hostes maxime nefarios misericordia: de singulari illa, quam in summa potestate adhibet, omnium rerum moderatione, & modo: non est hic locus, vt multa dicantur: neque plura tamen dici possunt,

quàm

quàm & perspicit,& admiratur Christianus orbis. Illud vero, quod causam meam præcipue attingit, tacitè nullo modo præterire possum: quòd debilitatam grauiter ecclesiæ diciplinam, ad pristinam integritatem reuocandam curat: quòd eiectos è suis sedibus homines pios fouet, ac sustentat: quòd omnia quæ agit, vna sanctitate dimetiri solet: quòd regium sceptrum, non aliam ob causam sibi commissum putat, quàm vt afflictæ ecclesiæ hospitium constituat. Sed cùm huius principis virtute, ad eum res Anglicanæ peruenissent statum: vt singuli prope ciues, religiosi sacerdotes: & totum regnum, consecratum deo templum: & ipsa etiam reipub: forma, cœlestis quædam θεοκρατία esse videretur: tantis continuo bonis Dæmon inuidit: & pietatem, in alijs terrarum partibus vehementer afflictam, lætam in Anglia, & alacrem florere, grauiter & acerbe tulit. Cum autem Elizabetha imperante persequutiones excitare non posset, & Christianæ doctrinæ veritatem, quamdiu prædicatur euangelium, & quatuor synodis integer habetur honos palàm rescindere, ac labefactare desperaret: noua statim consilia excogitauit: & nouas iniuit fallaciarum vias: & pietatem, quam nequitiæ telis vulnerare non poterat: ipsa pietatis armatura euertere laborauit. Sacrosancta enim scripturarum oracula, citari simul, & à vero sensu distorqueri: Christianam religionem verbis magnifice laudari, & reipsa contemni: lumine lumen de loco depelli: & per eos qui synceram reformationem assidue exposcũt, omne mihi decus auferre tentauit.

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa quæ ecclesia prius habuit maliliosè adimũt.

Sed quod potissimum reformationis genus in Anglia stabilire contendit? Non aliud quàm quod inchoauit olim per Aerium: & hac ætate in multis Europæ partibus, ad incredibilem pietatis Iacturam collocauit. Nam primo quod diuitijs effœminantur multorum animi, & ad res præclare gerendas segniores fiunt: ecclesiasticas opes in profanos vsus transferendas Iudicat. Infinita episcoporum

De reformatoribus illis qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa quæ ecclesia prius habuit malitiosè adimũt.

coporum ambitio grauissima rebuspub: detrimenta intulit: episcopalem igitur ordinem penitus rescindi postulat. Qui dignitate alijs in ecclesia, præcellunt, fratribus suis violenter interdum dominari, non legitime præsidere solent. Sed quam aptum huic malo remedium comparat, dum ministros omnes, authoritate æquales esse præcipit? Vetustæ disciplinæ nonnullas fortassis labeculas temporis diuturnitas aspersit: id incommodum vt depellat prouidus malorum depulsor Satanas purissimum sanguinem cum humoribus corruptis: lætissimos palmites cum vitiosis sarmentis simul remouendos censet. Hæc vt efficeret duo potissimum hominum genera excitauit. Quorum alterum insolens, superbum, elatum, inuidum, inflammatum malitia, nullos dignitate superiores pati potest: alterum iniustum, rapax, auarum, aliena diripiendi studio incensum, ruina mea magnum, & inopia opulentum esse studet: vtrumque vero cupidum rerum nouarum: inimicum otij: abhorrens â pace: in perturbatione disciplin veteris, optimam ecclesiæ gubernationem: in turbulenta confusione, ordinis venustatem & elegantiam: in sacrilega rerum ecclesiasticarum direptione, sanctissimam reformationem, contineri statuit, Ac priores illi, è malitiæ armamentario tela petunt: posteriores hi qui prædones rerum ecclesiasticarum rectissime appellentur pugnant potentia. Illi concionibus, & libris ad seditiones concitandas accommodatis, vetustam disciplinæ formam labefactare contendunt: hi illorum disputationibus maximam afferunt authoritatem, Illi episcoporum authoritatem imminui cupiunt: hi inuadunt opes. Illi nonnullam religionis curam præ se ferunt: hi in eam potissimum curam incumbunt, vt ministrorum calamitate ad honores ascēdant. Illi in diripiendis ecclesiæ bonis, alienæ libidini, tanquam mancipia sordidissima, vel tanquam instrumenta vix animata subseruiunt: hi quæ cunque in homines sacris deuotos malitia cōminisci

poterit

poterit, vehementer probant, vt si minus iustã, at speciosam sacrilegij causam habere possint. Cum igitur impura hæc puritas, & deformis reformatio è malitia, & Orco suscepta, ab auaritia, & inexplebili diripiendi libidine aucta, & confirmata fuerat, quid tandem boni efficiet? aut fœlicem quonam pacto rerum tam malarum catastrophē speremus? Ego certe, vt eius causam detestor: ita perhorresco exitum. Nam si stabili nondum sede collocata tantum mali effecerit: cum veterem disciplinam de loco depulerit, quem tandem relinquet virtuti locum?

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit, maliciose adimũt.

Sed quum latius assidue serperet reformatorũ nequitia: & vel rerũ malarum natura, quæ haud vnquã ita possunt reprimi, vt non sponte semper crescant: vel bonorũ timiditate, qui ad concertationes non nisi inuiti, & reluctantes accedunt: vel imperitorum imprudẽtia, qui quos orationem piorum imitari vident, eos facta quoque imitaturos putant: vel multitudinis leuitate, & inconstantia, quæ quod recentissime affertur, auidissime semper arripit, permultos in Anglia defensores inueniret: tempore quidem maxime opportuno, præstantissimi vir Iudicij, eruditionis, prudentiæ, pietatis Whitegiftus grauiter mihi perturbatæ opem attulit: & quæ à reformatoribus ad minuendũ veteris disciplinæ decus iactari solent, doctissime refutauit. Verum hæc impura hominum labes, cum in terram, cuius soboles haberi debet, deiecta esset, Antæi more noua quadam ferocia communita surrexit: & tametsi non robur pro victoria, perpetuam tamen pro factione pertinaciam resumpsit. Sed cœlestis prouidentiæ lumen, in eo mirabiliter mihi affulgere visum est: quod doctissimum hunc Whitegiftum, ad illustrem in Anglia dignitatem euexit: vt quam causam, cum ferè priuatus adhuc esset, scriptis, & argumentis præclarè defenderat: eandem in archiepiscopatu collocatus, maiori authoritate tueretur. Et nunc acceptam à maioribus disciplinam, tam constanter defendit, & tam fortiter hominum nouitati studentium retardat conatus: vt cùm singularem eius pietatem animaduertam: veterem mihi

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit, maliciosè adimũt.

Athanasium, diuino munere, & beneficio restitutum putem. Eandem tu causam, præstantissime Elmere, cum Whitegifto simul defendis: & hanc ordinis, ac venustatis corruptelam ex rerum humanarũ finibus dimouere studes. Hac de causa impulsi malitia reformatores nostri, qui recte loqui nunquam didicerunt: omnibus maledictis te insectari solent. Sed veræ pietatis quod certius argumẽtũ reperiri potest, quàm impuris nequissimorũ hominũ vocibus indigne violari? Te etiã reuerẽde wooltone, cõsimili malitia de existimatione tua detrahere contendunt: sed multo citiùs virtutem improbam, quàm vlla in re te improbandum demonstrent. Ac multos ego alios rerum sacrarum antistites, ijs quos recensui, virtute persimiles audio: & quoniam omnes fere quæ optant, libenter admittunt, facile credo. Quos omnes quantum possum, & oro, & obsecro, vt in eo, quo cœperunt cursu, pergant. Sic enim arrepta ẽ triuijs & ẽ scurrarum conuitijs maledicta, quæ ad minuendum episcoporum decus passim iactari videmus, facillimè refutentur. Nam si omnes, qui ad tractanda ecclesiæ gubernacula accedunt, quantum sibi imponatur negotij, diligenter consyderarent: deferueret fortassis reformatorum æstus: & malitia, cum nihil mali videret, viscera sua furiosiùs corroderet: & breuì, vt arbitror, rumperetur. Sed quid tandem boni ab illis expectem, qui vt episcopales sibi dignitates depacisci possint: consecratas ecclesiæ possessiones fœdissimis Harpyis diuendunt? Ecquam mihi vtilitatem afferant, qui in calamitoso hoc incendio, perinde quasi sua res non agatur, securè obdormiunt? Qua verborum acerbitate eorum insecter nequitiam, qui flagitiosas rerum sacratarum nundinas in ædibus suis constituunt? O quàm vellem, ad procuranda ecclesiæ negotia, vel nunquam accessissent: vel quamprimùm ab eo munere, & officio depelli possent: qui sacram sibi authoritatem non aliam ob causam commissam putant: quam vt vel delicijs perfruantur, vel opes conquirant.

Sed causam ab his hominibus neglectã, haud neglexit

Deus.

Deus. Nã vt oppugnatus à multis ecclesiæ status, certius præsidiũ reperire posset: herôũ clarißimũ excitauit Hattonum: qui varijs mihi incõmodis agitatæ: & in extremũ prope discrimẽ adductæ, incredibili animi magnitudine, tẽpore maxime opportuno subuenit. Nã cùm magnus hic Angliæ Cancellarius omnes eò referret curas, vt patriam fœlicem inprimis, ac beatam efficeret: cumq; nec fœlicitatem sine pietate comparari: nec pietatem in hominum voluntate, & Iudicio dißidentium discordia diu retineri posse optime intelligeret: omnem quidem operam, & studium in eo posuit: vt huius falsò nominatæ reformationis luem, quæ tot excitârat contentionum flãmas, ê republica depelleret. Ac minus iam ego formidarem reformatorum impetus, si admirabili clarißimi hominis virtute diu mihi frui licuisset. Sed profectò cum commissam sibi potestatem ad eum modum gereret, vt in principem optimam, singularem fidem: in tractandis reipub. negotijs, admirabilem prudentiam: & in dei ecclesiam, synceram pietatem palàm declararet: immatura heu morte, & reipub. atq; ecclesiæ maximè luctuosâ extinctus terras deseruit: & triste prudentiæ, ac authoritatis suæ desyderium bonis omnibus reliquit. O rerum humanarum instabilitatem, & inconstantiam, quæ in vno haud vnquam manent statu: & cum læti quidpiam promiserint, vt inanes vmbræ, vel tanquã somnia subito euanescunt. O semper me infœlicem, & calamitosam, quæ in tam infinita inimicorum turba, vel nullos reperio vere amicos: vel si qui sint, qui opem mihi, atque auxiliũ afferre cupiunt: eos statim celeri, & inexpectata morte absumi video. Sed profectò mea, ac meorum peccata, clarißimum hunc herôa terris ademerunt: ob meam, & meorũ nequitiam in beatorum sedes cœleste numen Hattonum vocauit. Nos, nos tam præclaro muniti bono secure viximus: nos, nos ab eo ipso, quod innocentiæ perfugiũ Deus esse voluit, maiorem contraximus peccandi licentiam. Nunc autem mortem tuam, clarißime Hattone, quæ nihil tibi mali attulit, non lugeo: sed lugeo meas calamitates: tu sempiterna

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit, malitiosè adimũt.

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit, malitiosè adimũt.

piterna fœlicitate in coelis perfrueris: ego in hac lachrymarum valle tristis permaneo: tu cum omnibus, qui pietatem olim defenderunt, lætus triumphas: me auxilio tuo orbatam reformatores omni malorum genere adhuc diuexant. Ac certe siue perpetuum tuæ vitæ cursum, siue mortem illam, illam inquam tibi non iniucundã, sed mihi longe acerbissimam mortem perlustro: non possum nõ vtroq; modo te fœlicem, ac beatum prædicare. Ad eum enim viuebas modum, vt in vita omnibus bonis affluente, nihil te nisi virtus vnquam delectaret: eo autem animo illam ipsam, quam tantopere multi perhorrescunt, subiisti mortem: vt â delicijs, tanquam ab ærumnis ad maximum gaudium: ab honoribus, tanquàm vinculis ad veram libertatem emigrare viderêre. Ac talis erat perpetua vitæ tuæ ratio, vt cum maxima potentia, ac authoritate virtutem defenderes: potestate tamen voluntatẽ longe maiorẽ semper declarares: & cum extremũ illũ efflabas spiritũ, mens tua tam mirifice Christianam spirabat pietatẽ, vt qui mortem tibi inflictam, & non donatam potius immortalitatem affirmabit, perdite malitiosus rectissime existimetur. Nec sol petit lumen ab alio lumine, nec virtutes tuæ, magnum Angliæ decus Cecîli cuiusquam oratione illustrari possunt. Patere tamen (obsecro) earum rerum magnitudinem, ac præstantiam hoc loco, angusta quasi in tabella tenui penicillo leuiter adumbrari, quæ in Angliæ luce palam cernuntur, & grato omnium bonorum sermone prædicantur. Nam si omnes merito dilaudari possint, in quibus haud fucata vnius virtutis effigies apparet: quantis demum laudibus nobilissime heros te efferamus, in quo maximarum virtutum non tenues imagines, sed solidas, & eminentes naturas expresse intuemur? Si clarissimi olim herôes, quorum res gestas lux temporum historia immortalitati commendauit, etiamsi omnes virtutes ante oculos pariter propositas haberẽt: haud pari tamen modo in omnibus præstiterunt: quam præclara, & illustris est tua laus præstantissime Cecîli, qui virtutes specie dispares ἰδίᾳ (vt Euripidis vtar

verbis) συζυγία tã fœliciter copulâsti, vt in omnibus omnium præstantissimus iure habearet Homines pij, cum in cœlestia omni cura incumbunt, humana non ita prudenter interdum disponunt: sed in te vno pietatis, & prudẽtiæ tam mirificus reperitur consensus, concentusq; vt pietas prudentiam in cœlestia attollere: prudentia pietati authoritatem in terris conciliare videatur. Iusti etiam homines, dum immotas iuris regulas sequuntur, nonnulla asperiùs, & acerbiùs interdum faciunt: in te summus iustitiæ amor condimentis quibusdam benignitatis tam suauiter mitigatur, vt vtrum improbi plus metuant tuam seueritatem, an boni diligant mansuetudinem tuam, ac clementiam, vix dici possit. Qui in summa collocantur authoritate, inferiorum causas nonnunquam contemnũt: sed hoc habet peculiare animi tui præstantia, vt cum in maximis se libenter exerceat: infimorum tamen postulata benigne exaudiat. His etiam illud necessario adiungendum videtur, quod defendis studia doctrinæ, & homines eruditione præcellentes in summo honore habes. Ex quibus omnibus manifesto apparet cœlesti benignitate excitatum te esse, vt in hac grauissima rerum perturbatione tanquam faustũ, ac salutare sydus ad afflictæ virtutis solatium affulgeas. Ac prudentiã tuam præstantissime Cecili Angliæ fœlicitas venturis etiam seculis fatebitur. Iustitiæ tuæ, & æquitatis monimenta in bonorũ animis semper manebunt, & nulla vnquam vetustate obsolescent. Constans tuũ in eruditionem studiũ, optimarũ artiũ altrix Cantabrigia omni posteritati declarabit. Sed pietatem tuam ego ipsa infinitis prope periculis prudentia tua, ac consilio liberata perpetuo commendabo: nec vnquã adueniet dies ille, quo magni Angliæ Thesaurarij ecclesia obliuiscetur. Sed per æternã illam sapientiam, ẽ qua radius quidam in mentem tuam dimissus clarissimũ tibi lumen vbiq; præfert: per ordinem, per venustatẽ, per conuenientiam, quas res maximæ curæ tibi semper fuisse manifesto apparet: per pietatẽ etiam, cuius amore te semper flagrâsse perpetuus vitæ tuæ cursus declarat: a te præ-

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit, malitiosè adimũt.

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit, maliticse adimũt.

ſtantiſsime heros fletu,& lachrymis peto,& contendo: vt quemadmodum ab externorum hoſtiũ audacia, qui bellum mihi apertè indicunt, me ſemper hucuſq; incredibili animi magnitudine defendiſti: ita etiam nunc reformatorum meorum, qui occultius,& aſtutius peſtem mihi machinantur, malitiam reprimas, & coerceas. Hattono dũ in terris adhuc eſſet, tu nobis Sacuille, tanquam inuicto Herculi fortiſsimus Theſeus, ad diſsipanda errorum portenta, præclarum te comitem, & ſocium præbuiſti. Supplex igitur te oro,& obteſtor, vt cauſam tam illuſtris patroni interitu afflictam conſtanter tueare. E terris abſceſſit Hattonus, qui omnem mihi opem afferre paratus fuerat: ſed manet adhuc eccleſia, quæ fletu, & lachrymis auxilium tuum implorat: laboris tam glorioſi conſortem amiſiſti: ſed quis non eũ putabit præclarè munitum, qui cauſam â Chriſto probatam defendit? Nec tuas clariſsime Anderſone virtutes, cùm tam fidelem mihi operam, ac ſtudium in hac cauſa nauâris, tacitè præterire vllo modo poſſum. Magnum quidem eſt, & præclarũ, quòd Iuris ciuilis rationem ab æquitate non ſeiungis; quòd ingenium, laborem, fidẽ Angliæ promptam,& expoſitam præbes: quòd ita bonus, ac Iuſtus es, vt natura, nõ diſciplina conſultus videare: ita rurſus peritus, ac prudens, vt ex Iure ciuili, nõ ſcientiam ſolùm, verùm etiam bonitatẽ tibi natam ſtatuamus. Permagna ſunt hæc inquã, ſed tibi forſan cũ alijs cõmunia. Sed quòd eccleſiæ non minus, quàm reipub: ſubſeruis: quòd pietatem omnium legum, vt fundamentũ, ita finem ſtatuis: quòd religionẽ, optimam rerumpub: conſeruatricem ducis: quòd nouarum opinionũ authores, legũ ſacratarum catenis conſtringis: quòd dum alij callida,& malitioſa Iuris interpretatione authoritatẽ meam eludũt, approbatam olim â ſanctiſsimis epiſcopis diſciplinã cõſtanter defẽdis: in eo omnibus, qui vel ſunt, vel fuerunt, Iurecõſultis anteponi potes. Magnum opus omnino,& arduũ, viri clariſsimi ſuſcepiſtis: quod tamẽ ad optatũ finẽ vos aliquãdo perducturos, veſtra mihi virtus certiſsimè pollicetur. Verùm magna ſine magno labore

præſtari

præstari non possũt:& in his,quæ ardua vidẽtur,& maxime difficilia,virtutis præstãtia potisſimũ elucescit.Quid autẽ maius quàm ecclesiæ pacem : perturbatis piorũ animis lætã quietem:præsidium virtuti:improbitati supplicium:& rebuspub:salutem,ac fœlicitatem afferre? Hanc vos prouinciã clarisſimi viri spõte suscepistis: in hac vos nauiter exerceri conuenit. Varijs quidem modis labores vestros in odiũ adducere contendet reformatorũ natio: sed tantò animosiùs quæso pergite. Virtutem enim,certa quadã rerũ fœliciter gerendarum fiduciã erectam,nullis maleuolorum voculis infringi decet. Sapientem illũ nõstis Romanum,qui imperitorum sermonibus ab eo quod rectũ Iudicabat,dimoueri non poterat:*ante salutem enim vt ait ille,non ponebat rumores* . Quo iustius à vobis contemnantur,quæ ranunculi in cauernis odiosé coaxant.

De reformatoribus illis, qui dum corrupta resecare sibi assumunt: bona illa, quæ ecclesia prius habuit,malitiosè adimũt.

Sed ne hos reformatores temere,& sine causa insectari videar:quid concionibus turbulentis,& libris non tã docte,quã malitiosé scriptis proponũt: magis partitè,& distinctè explicare libet. Ad ecclesiæ igitur Christo despõsæ dignitatem,hoc inprimis pertinere existimant,vt non solùm intùs, & animo sancta: sed externo etiã nitore speciosa,ac venusta haberi posſit. Neq; vero satis esse putãt, si integra fruatur valetudine:nisi etiã eleganti disciplinæ veste perpulchrè adornetur. Quoniam igitur Christi ecclesiæ,& superesse Iudicant nõnulla,quæ eam potiùs premunt,quàm ornant:& deesse etiã haud pauca,quæ maximũ illi decus afferre possent : resecãda omni studio, quæ tam copiose redundant:& quæ desunt, ac deficiũt,necessario perficienda dicunt. Honesta certe oratio, cui vtinã quæ agunt,paulo aptius cõuenirent. Sed cùm ea quæ suscipiunt,& moliuntur,diligentius animaduerto : armillas quidẽ promitti,sed manicis me cõstringi: monilia proponi, & inijci vincula : de venusta disciplinæ veste multa narrari : sed omnia dignitatis ornamenta, & stabilitatis præsidia mihi penitùs auferri video. Ac in eo potisſimum præstãtisſimis ornamentis me orbare contendunt : quòd

disciplinæ

Reformatricis disciplinæ capita.

disciplinæ normas, ac præscriptiones, ad liberos meos rectius in officio continendos, à me constitui non permittunt. Haud leuiùs deindè in eo peccant, quòd episcopalem authoritatem, quam ad contentiones tempestiuè reprimendas plurimũ semper valuisse, diuturna probauit rerum experientia, è rebus humanis exterminandam censent. Duram vero seruitutem mihi imponunt, & odiosam in res sacratissimas inferunt confusionem: dum popularem ministrorum electionem diuino Iure præscribi affirmant; & dum ad ecclesiastica rectius disponenda, seniores quosdam piæ vetustati prorsus ignotos, ministris tanquam comites, & socios adiungi præcipiunt, Quos laicos quî appellem, cum sacrorum procurationi tam audacter se interponant? ecclesiasticos quonam Iure censeam, cum post aliquod temporis spacium commissa sibi negotia relinquant, & ad munera prius relicta redeant? Sed nimirum ita se res habet: vel ambiguæ sunt naturæ, vel vt androgyni quidam incerti sexus: quos natura auersatur: â sacris pertractandis religio repellit: & ab ecclesiasticis negotijs venustas procul amoueri postulat. Nam vt monstra quædam è confusione profecta, ad confusionem semper tendunt: & procreatrici suæ haud ingrata, omnia secum eò pertrahere cupiunt.

Permulta quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Sed varias â me leges, quæ variæ temporum, & locorum rationi accommodentur, quîd tandem Iuberi prohibent? Quod certam, inquiunt, & immutabilem disciplinæ formam Christus præscripsit: & Christi ab ecclesia: sponsi â sponsa Iussiones in maximo honore haberi cõuenit. Sed quid? immodestane est fœmina, quæ mariti sui voces, & mandata spernit? & casta existimabitur, quæ non minus libenter alieni, quam coniugis voluntati paret? Num profligati est Iudicij, qui lucẽ intueri præfracte pernegat? & nullo versatur in errore, qui cũ tenebris circumfusus Iacet, clarissimo lumine se illustari putat? Magno se obstringit scelere, qui certissimas veritatis præscriptiones, ac normas contemnit? & nulla est in culpa, qui humani ingenij somnia, è sempiterno sapientiæ fonte

fonte hausta, & delibata statuit? Diligenter fateor mihi est cauendum, ne sacrosancta numinis iussa violem, & perfringam. Sed annon etiam reformatores meos rectè admoneam, ne humana pro diuinis: impura pro sanctissimis: terrena pro cœlestibus: & ne pro oraculis diuinitùs patefactis, vanissima opinionum suarum commenta importune mihi offerant? At vero inquiunt, cùm hanc, quam probamus disciplinam, apostoli cœlesti afflatu concitati approbârint: eam quidem origine cœlestem: sanctitate puram: fundatam æquitate: & ecclesiæ per totum terrarum orbem diffusæ, maxime salutarem esse manifestò patet. Quæ apostoli perpetua esse voluerunt, ea perpetuò in ecclesia retineri æquum est. Sed multa illi, ob particulares quasdam causas instituerunt, quæ postea causis non manentibus abrogata fuerant. Nascentis ecclesiæ primordijs, nonnulla accommodârunt: quæ ad alia deinceps tempora aptari non poterant. Vt offensiones sedarent, nonnulla pertulerunt, quæ perpetuò retineri nulla ratio postulat. Permiserunt haud pauca, cùm persequutio sæuiret, quæ diebus tranquillis haud vnquam approbâssent. Suaserunt potiùs nonnulla, quàm præscripserunt: ne laqueum conscientijs inijcerent. Eorum etiam, quæ præscripserunt, permulta ad externam venustatem, & conuenientiam referebant: quæ variari posse, vel me tacente totus declarat terrarum orbis: qui haud pauca, vt venusta singulis diebus admittit: quæ, vt indecora, & inuenusta, priora olim secula respuebant. Quare si reformatores nostri, hanc, quam probant disciplinam, â nobis simul comprobari velint: eam ab apostolis non obseruatam modò, sed commendatam ecclesijs: nec commendatam solùm, sed certò præscriptam: nec præscriptam, vt ad breue, & exiguum temporis spacium duraret: sed vt ad secundum Christi aduentum retineretur, ante omnia nobis commonstrare debent. Recte inquiunt: sed tametsi

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

metsi permutentur nonnunquam, quæ â personis pendent; quæ alligantur locis: quæ temporum rationi accommodari debent: integram tamen disciplinæ vim, & naturam scriptura nobis proponit: eámque donec bonis diu expectatus iudicij dies aduenerit: in ecclesia perpetuò retineri iubet. Nam & munera omnia, & officia, quæ ad venustam ecclesiæ gubernationem, quoquo modo necessaria videantur, nominatim recenset, ac speciatim describit: & quam electionis formam, ad ministros ritè designandos perpetuò adhiberi oporteat, certissimè declarat: & sacrum illud, ac diuinum planè presbyterij decus, quo vno ecclesiæ salus maximè nititur, summo semper in honore haberi præcipit: & quænam admittendæ morum censuræ: quæ probanda fidei, & doctrinæ exploratio: quibusnam frænis homines in nequitiam ruentes reuocari debeant: & quodnam de hominibus aperte flagitiosis Iudicium ferri conueniat, particulatim ostendit. Hanc ob caussam disciplinam illi suam, sanctam esse euangelij partem, & non solùm ad ecclesiæ decus, sed ad salutem etiam necessariò spectare: diuini esse fœderis arcam, & ê nullo loco sine maximo scelere excludi affirmant. Non minùs igitur eos peccare asserunt, qui sanctissimam hanc disciplinæ ideam contemnunt: quàm qui euangelij mysteria: aut æterni fœderis sacramenta respuunt. Itanè vero? tantumnè in hac disciplina sanctitatis? tantùm præstantiæ? Quid ergo de illis dicamus ecclesijs, quæ hanc disciplinæ formam non recipiunt? Quid de illis quæ oppugnant? Particulares quidem ecclesiæ errare possunt, & in multis haud raro aberrârunt. Sed tamen si cognitos errores libenter deponant: si perspectam veritatem sequi non recusent: fideles esse Christi ecclesiæ non desinunt. Sed si qua forsan sit ecclesia, quæ peccati admonita non audit: quæ hominum pie consulentium postulata contemnit: quæ errori pertinaciam, & sceleri perseuerandi

uerandi libidinem adiungit: ea, vt opinor, Antichristi synagoga rectè appelletur. Sed Antichristi synagogas, vt omnium scelerum claustra, ac officinas, quamprimum oportet relinquere. Quid ni ergo illæ deserātur ecclesiæ: quæ eam disciplinam repudiant, quam sanctissimam esse euangelij partem ratio, & ipsa veritas euincit. Quonam igitur in statu, Anglicanam ecclesiam versari putemus: quæ inuectam â reformatoribus disciplinam constanter huc vsq; oppugnauit: & fœliciter, vt spero, oppugnare persistet? Nam si quam omninò euangelij partem contemnit, fidelis Christi sponsa haberi non debet. Sed si casta, ac fidelis sit Christi sponsa (quod veritate victi reformatores concedunt) haud vllam contemnit partem euangelij.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Hic ego vniuersam appello reformatorum gentem, vt quid in hac causa dicendum sit, aliquanto acutius, & perspicaciùs exquirant. Ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονες ἔστε σόφισται. Nunc mihi adeste omnes, gens importuna sophistæ: adeste inquam, quæ sentitis expromite, dicite, fingite, excogitate aliquid verisimile, vt vestram de disciplina sententiam saltem commodè excusetis. Nam si disciplina vestra, sit euangelij pars: si sit arca diuini fœderis, si æterna etiam sit cœlestis verbi veritas: quod effrænata quadam audacia, vel amentia potiùs affirmastis, & cœlestem in eo haud metuistis iram: tum qui eam oppugnat, non euangelij amator, sed nefarius hostis: non fœderis particeps, sed mancipium Satanæ: non studiosus veritatis, sed errorum defensor improbissimus, iure habeatur. Hæc cùm ita sint, quid tandem reformatores nostri Barrôum tam vehementer oppugnant? quid insectantur impuros Grenewooddi fœtus? quid alios etiam contentionum authores, qui nullum cum ecclesia Anglicana habebunt commercium, sceleris, & nequitiæ tam seuere condemnant? Vel enim minuant oportet, quæ de

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

de sanctitate suæ disciplinæ toties perscribunt: vel hominum pacis, & concordiæ vincula dirumpentium, perditissimos defendant conatus. Effictam opinionis errore disciplinam commendant? nefarios contentionum authores, cum accensis facibus in ecclesiam immittunt. Ecclesiæ societatem nullo modo repudiandam censent? refellunt elogia illa quibus disciplinam suam ornare, & eleganter perpolire voluerunt. Sed quid? itane se habent res ecclesiasticæ, vt nisi scisma approbetur, disciplina corruet? & ordinis, cum confusione necessariò coniungetur defensio?

Hanc rem, vt nobis expediat, adcurrit Cartwrightus. Nec libentiùs in hac causa quenquam audiremus. Quid enim æquius, quam vt qui læsit adiuuet? Quid ad ordinem elegantius, quam vt qui vulnera inflixit, afferat remedia? Quemadmodum igitur, qui sunt à scorpijs icti, ab ijsdem remedium petunt: ita ego à te Cartwrighte veneno perfusa, à te salutarem medicinam exposco. Ab ecclesia inquit disciplinæ causa abscedere non conuenit. Κυρίαν putate non Epicuri, sed Cartwrighti δόξαν: aut oraculum potius genij cuiuspiam afflatu, & instinctu effusum. Sed quam rationem affert? Ecclesia inquit, non minus sine disciplina, quàm sine maceria hortus, aut sine muro ciuitas esse potest. Nec illepidè quidem, nec inconcinnè: sed parùm appositè ad causam nostram. Non enim quæro, an ecclesia sine disciplina vllo modo manere possit? sed an fidelis Christi sponsa haberi debeat, quæ sacrosanctum Christi Iesu euangelium repellit, id quæro? Deinde magis necessariam esse ecclesiæ rectam disciplinam, quàm murum ciuitati, aut maceriam horto, dicendum arbitror. Sparta cum moenibus haud cingeretur, domi, forisque multa foeliciter gerebat: & inter omnes ciuitates clara inprimis, ac illustris semper habebatur: quòd virtute potiùs militari, quàm lapidum mole:

&

& quòd laterum, ac corporum oppoſitu, non muris, aut alijs eius generis propugnaculis, hoſtiles incurſus propulſabat. Sed quis eum laudaret, qui diſciplinam non omni ſtudio in eccleſia collocandam cenſeret? aut quam demum fœlicitatem ibi expectemus, vbi legitima rerum omnium violatur adminiſtratio? Nam vt anima tametſi vitæ fons, ac principium haberi debet: vt actiones tamen vitales recte producat, certam, ac definitam corporis quantitatem, partium inter ſe omnium, ac membrorum aptam συμμετρίαν, & conuenientiam, & humorum temperatam quandam commixtionem requirit: ita cœleſtis doctrina tametſi eccleſiæ vita, atque anima verè Iudicari poſsit, euolabit tamen ſubitò, & eccleſiam tanquam mortuum cadauer relinquet: ſi nullis ſepiatur ritibus, & ceremonijs: ſi nulla munerum, & officiorum diſtinctio approbetur: ſi nulla hominum dignitate inæqualium ſit æquabilis coniunctio, quemadmodum ex rebus forma differentibus admirabilis venuſtas conflatur: vel vt ex acutioribus ſonis, cum grauibus temperatis ſuauiſsimus oritur concentus: ſi nulla denique rerum eccleſiaſticarum adminiſtratio admittatur. Vbi enim diſciplina violatur, ſtabilem ſedem, ac domicilium ordo habere non poteſt: vbi ordo negligitur, perturbatio omnium rerum ſequitur, & magna confuſio: in confuſione verò ſanctus ille ſpiritus, qui omnia ſuauiter diſponit, haud diu habitabit. Sed cùm Anglicana eccleſia ſingulari dei beneficio, huc vſque permanſerit: cúmque nihil fere his annis mali viderit, quod non ſolis reformatoribus acceptum referre poſsit: non ab ea ſacroſanctum Chriſti euangelium repudiari, ſed hominum delirantium optata reſpui: non æternum dei fœdus contemni, ſed oppugnari matrem, ac procreatricem confuſionis: non reſcindi veritatis præſcripta, ſed impuros errorum condemnari fœtus liquidò conſtat.

Permulta, quæ ad diſciplinæ vim, ac rationem ſpectant, eccleſiæ permittuntur poteſtati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplina vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Cartwrightum igitur tandem dimittamus, verum ne parum humaniter se tractatum dicat, non sine præmio. Præmium autem quod homini ad rem attentiori maximam fortaßis voluptatem afferret, non erit nummarium: sed fidele potius consilium: quo, donum præstantius, à solicita matre contumacioribus liberis afferri non potest. Permultos scriptis Cartwrighte tuis permotos, ab ecclesia desciuisse, vt non ignoras, ita vtinam quemadmodum tanti mali magnitudo postulat, grauiter, & molestè ferres. Nam qui sancta primo societate coniuncti, singulari animorum conspiratione, vnam fidem, & religionem colebant: hi iam culpa tua Cartwrighte, vt ouiculæ ex ouili eiectæ, misere dispersi, & dißipati errant: & nec quos tutò sequantur: nec quos rectè fugiant, certò secum statuere poßunt. Hos si ecclesiæ quamprimum restitues: & rem deo gratißimam efficies: & magnam à bonis omnibus gratiam inibis. Si eruditio tua ad hominum imprudentium miseriam, ac perniciem quidquam valuit: ad salutem, vt arbitror, multò magis valebit: si in violanda ecclesiæ pace haud indisertus fuisti: huius profecto negotij sanctitas, multò te reddet disertiorem. Sed vt aliorum animos facilius flectas, cum ecclesia tu ipse quamprimum in gratiam redi. Quæ igitur iuuenili ætate, vel malitiosius, vel feruidius, effudisti: deferuescente iam affectu, sedata, vt spero, malitia, & rebus omnibus maiori iudicio ponderatis, prudenter tandem rescinde. Haud erit certe id tam ingratum improbis: quam bonis iucundum: non tam inconstantiam tuam scelerati reprehendent: quam laudabunt melioris notæ homines pietatem. A causa te desciuisse, puritana labes clamitabit: sed hanc consilij tui mutationem, cœli, terræque amplectentur. Quod si rectè æstimemus rerum naturas: eos qui à nequitia, ad virtutem: ab errore, ad veritatem:

ab hæreticorum conuenticulis, ad sanctissimam Christi ecclesiam recedunt: non inconstantes, sed pios: nec tam leues, quam singulari prudentia præditos statuamus. Sed nihil est sceleratius, quàm clarissimum virtutis ornamentum constantiam, nequitiæ adiungere: nihil miserius, quàm ne inconstantes habeamur, in errore perseuerare. Optime te intelligere scio illud Aristotelis. δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν: ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. Sæpius te legisse arbitror, quid fecit Augustinus: quæ florenti ætate temere effuderat: prudenti canitie, consultò retractauit. Illius te consilio obsequi: & huius facta imitari vellem. Audi quæso quid Dionysius, clarissimus olim Alexandriæ episcopus, ad familiæ vestræ principem Nouatum scripsit. Cuius infœlicem, & calamitosum ecclesiæ spiritum, post tot annorum spacia tam manifestò in te apparere, non possum non simul admirari, & conqueri. Διονύσιος Νουάτῳ τῷ ἀδελφῷ χαίρειν. εἰ ἄκων ὡς φὴς ἤχθης, δείξεις ἂν ἀναχωρήσεις ἑκών. ἔδει μὲν γὰρ καὶ πᾶν ὁτιοῦν παθεῖν, ὑπὲρ τοῦ μὴ διακόψαι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἦν οὐκ ἀδοξοτέρα τῆς ἕνεκεν τοῦ μὴ εἰδωλολατρῆσαι γινομένης, ἡ ἕνεκεν τοῦ μὴ σχίσαι μαρτυρία, κατ' ἐμὲ δὲ καὶ μείζων. ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑπὲρ μιᾶς τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς. ἐνταῦθα δὲ ὑπὲρ ὅλης τῆς ἐκκλησίας μαρτυρεῖ. καὶ νῦν δὲ εἰ πείσαις ἢ βιάσαιο τοὺς ἀδελφοὺς εἰς ὁμόνοιαν ἐλθεῖν, μεῖζον ἔσται σοι τοῦ σφάλματος τὸ κατόρθωμα; καὶ τὸ μὲν, οὐ λογισθήσεται, τὸ δὲ ἐπαινεθήσεται. εἰ δὲ ἀπειθούντων ἀδυνατοίης, σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν. ἐῤῥῶσθαί σε ὀλκόμενον τῆς εἰρήνης ἐν κυρίῳ εὔχομαι. Quæ dicam latine: Dionysius Nauato salutem. Coactum te, vt dicis, eo processisse constabit: si sponte, ac voluntate quam primum recesseris. Sed rectius quidem fuisset, omnes potius calamitates subire: quàm Dei ecclesiam discindere. Neque leuius esset ne ecclesiam dirumpamus, quàm ne eidolis immolemus, cruciatus pati: Imo meo quidem Iudicio esset multo præstantius. Hic enim pro sua quis anima: sed ibi pro tota ecclesia cruciatur. Nunc igitur si dissentientes fratres,

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

vel

Permulta, quæ ad disciplinæ vim ac rationem spectant, ecclesia permittuntur potestati, & arbitrio.

vel vi, vel precibus in concordiam reduxeris: erit pro lapsione tua maior huius actionis præstantia. Ac illa non ascribetur tibi, sed hæc sempiternis laudibus efferetur. Quod si hominibus in sententia obfirmatis persuadere non posis: at tuam ne quæso animam perire sine. Optime te valere, dummodo paci quæ in Christo Iesu est, piè adhærescas, vehementer precor.

Sed parùm fortasse roboris in hac prolusione contineri videbitur. Nec homines contentionis, quàm pietatis cupidiores vehementiùs premet. In acriorem igitur pugnam fauente numine procedemus. Vnam, & certam, & immutabilem disciplinæ formam sacris literis contineri affirmant: & hoc vno velut ariete omnia, quæ purior vnquam obseruauit vetustas, facile subuerti posse dicunt. Non quæram, vel quomodo vna administrationis forma tot gentibus, quæ lingua, moribus, & institutis inter se longissimè differunt, rectè conueniat: vel quomodo sit certa, quæ ab incertis temporum, & locorum circumstantijs pendet: vel quomodo sit immutabilis, cuius multas rescindi partes publicæ incolumitatis, haud rarò interest: sed illud quæro, quibusnam rationibus ea quæ dicunt nobis probare posint? Nam si scripturas non a vero, & germano sensu ad arbitrium suum, ac libidinem detortas afferunt: sponte audiemus: repugnare haud nouimus: libenter cedemus. Si rationes proponent, earum pondera, & momenta quietè expendemus: nec quidquam ab officio nostro alienius Iudicabimus: quam vel quid deus præscribit: vel quid recta ratio postulat: aut parùm prudenter exquirere: aut parum religiosè reuereri. Quod si omnia quæ cupiunt necessariò sancta esse existiment: si rationis decus, in effrænata concertandi libidine potissimùm eminere putant: si verba tantùm afferant, quæ vt plena acerbitatis, ita rationis inania haberi possint ab huiusmodi hominibus, quæ vix vllas probat dissentiones Charitas, seuerè præcipit dissentire. Si inte-

gra

gra, inquiunt, & absoluta ecclesiasticæ disciplinæ vis, ac natura, in nouo testamento non continetur: tum in dei domo fidelior erat Moses, quàm Christus: tum legi euangelium perfectione cedit: tum ancillæ synagogæ, quàm liberæ Christi ecclesiæ plura, & præstantiora deus concessit. Nam si tabernaculi recte extruendi rationem plene, & perfecte Moses descripsit: & permulta ad ecclesiæ gubernationem maximè necessaria Christus omisit: si lex omnes ritus, & ceremonias, quæ religioni subseruire aliquo modo poterant, speciatim explicuit: & in euangelio haud paucæ desunt disciplinæ partes: si in omnibus fere controuersijs, ad legem, & testimonia synagoga adcurrebat: & in multis haud parui momenti rebus à cæco hominum arbitrio ecclesia pendeat: tum Mosem Christo: euangelio legem: & synagogam ecclesiæ dignitate præstare necessariò est fatendum. At vero, parùm prudens est, (inquiunt) qui omnium rerum domino, seruum anteponit: magno in errore versatur, qui Mosem de synagoga, quàm Christum, de ecclesia magis solicitum fuisse existimat: & qui piorum societatem, rectiùs ab humanæ infirmitatis sobole, quàm ab æterna Dei sapientia administrari posse statuit: scelere profecto inexpiabili obstrictus haberi debet. Cœlestia Christi beneficia ingratè contemnit, qui rectius multo, quid nobis sit agendum perimentem literam, quàm doctrinam salutis præscripsisse affirmat: & qui magis dilectam â sempiterna maiestate fuisse Agar existimat, quæ vna cum suis seruit: quàm Saram, quæ libera est fidelium mater: seruitute perpetua haud immeritò opprimatur. Quare (inquiunt) vel certam disciplinæ formam in nouo fœdere contineri statuendum est: vel indignissimas in dispersam toto orbe ecclesiam: in salutarem euangelij doctrinam: in vitam nostram, ac salutem Iesum, iaciemus contumelias.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Sed reformatorum rationes eo maxime vitio laborare mihi videntur: quòd plura semper assumunt, quàm petunt: & petunt ea, quæ nemo nisi dissolute improbus posſit concedere. Nos certe, Christum, non omnia, quæ ad exteriorem ecclesiæ gubernationem spectant, speciatim designâsse liberè profitemur. Neque tamen vel synagogæ Mosem, quàm Christum ecclesiæ fideliorem extitisse: vel Iudæis seruum, licet optimum, quàm vitæ dominum Christianis amantiùs prospexisse: vel sanctissimas disciplinæ leges rectiùs ab humanæ cæcitatis sobole, quàm ab æterna patris sapientia designari posse vnquam concedemus. Particulares enim vni genti, vel ciuitati leges præscribi, nulla ratio prohibet: sed qui ijsdem legibus terrarum orbem deuincire cuperet: is magnam in res humanas inferret perturbationem. Facilius multò est, res ad tempus tolerandas præscribere: quàm quid perpetuo retineri debeat commonstrare. Illa haud incommode, ad præfinitum tempus obseruari possunt: hæc cum tam infinitæ oriantur rerum commutationes, necessariò mutabuntur. Iam verò synagoga exiguis admodum Iudææ finibus comprehensa fuerat: sed Christi ecclesia per totum terrarum orbem diffunditur, & dilatatur. Illa ad præfinitum à patre spacium permansit: hæc ad omnium rerum deflagrationem in terris militans permanebit. Rectè igitur Moses particulares præscripsit Iudæis leges: quas religiosè, & inuiolatè retineri voluit: sed Christus si homines locis diuisos, disiunctos tempore, studio dissidentes, voluntate, moribus, & institutis dissimiles, & tacita quadam naturæ inclinatione differentes, ijsdem ritibus, ac ceremonijs necessario illigâsset: fœdissimam quidem confusionem in ecclesiam intulisset.

Neque tamen quòd omnia nobis particulatim non descripsit: vel maiori in honore Iudaicam synagogam habuit: vel Christianam minùs dilexit ecclesiam. Quis, enim

enim deus bone quis, nisi plane perditus, & profligatus hoc vnquam affirmaret? Imo vero ecclesiam suam ardentiori amore complexus videtur: quòd ex tam multis, & tam dissidentibus inter se nationibus, sanctam sibi familiam delegerit: quæ eisdem ritibus, ac ceremonijs perpetuò deuinciri non possit. Sed quòd auidissimè ex his arripiunt, euangelium legi, & veteri testamento nouum, perfectione cedere: id minimè omnium videtur sequi. Quamuis enim omnia, quæ ad ecclesiam recte gubernandam conducunt: nouum fœdus speciatim minimè comprehendit: certas tamen quasdam describit regulas, quas non minùs in regenda ecclesia, quam in nauigando Cynosuram illam, *qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto: aut Helicem, & clarissimos Septentriones intueri conuenit.* Non omnia particulatim, quæ toto vitæ cursu nobis sunt agenda declarat: sed mysteria fidei, & morum præcepta, multò distinctiùs, & explicatiùs proponit. Non omnes ritus, & ceremonias, quæ necessarium in ecclesia locum habeant, nobis tanquam pueris speciatim recenset: sed tam eximia spiritus dona, à Christo Iesu ecclesia accepit: vt puerilia ista rudimenta non multùm requirat. Non nobis, vt infantibus, præmansum cibum in ora ingerit: sed ecclesiæ iam abscessit pueritia: & solidiores diuino munere, & beneficio cibi offeruntur. Vetus præterea testamentum, æterna quidem bona, sed perituris adumbrata: cælestia, sed inuoluta terrenis, Iudæis proposuit. At nouum hoc fœdus, mentes nostras, in terrena nimium depressas, in nudam cælestium contemplationem erigit, atque excitat. Vetus testamentum, pro veritate imaginem, pro solido corpore, vmbram ostendebat: nouum perspicuam veritatem comprehendit. Vetus vmbratili, ac parum efficaci ceremoniarum obseruatione inuolutum tradebatur: nouum precioso Christi sanguine consecratum, & stabilitum manet. Vetus erat literæ, & mortis quædam administratio: nouum spiritus, iustitię, ac

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

ſalutis. Illud carneis, ac lapideis tabulis impreſſum fuerat: hoc inſculptum eſt in animis. Quid multa? vetus teſtamentum dura quidem ſeruitute, ſed temporibus illis congruenti, Iudæos obſtrinxit: nouum ducit ad libertatem. Vetus timorem in animis genuit: nouum in fiduciam attollit. Vetus vni tantùm populo gratiam obtulit: ſed in nouo gentes omnes vocantur ad ſalutem.

Iam vero ſi vna res ſacras procurandi ratio, omnibus locis minùs aptè conueniat: ſi ijdem ritus inter homines, vt locis diſiunctos, ita ſtudijs diſsidentes, diu permanere non poſſunt: ſi certas, ac ſtabiles legum preſcriptiones, ac normas incerti, ac inopinati caſus haud raro perturbent: ſi perpetua, in ijs quæ mutationi ſunt obnoxia vim ſuam, ac ſtabilitatem haud quaquàm conſeruent: quanto tandem in errore illos verſari putemus, qui vnam, certam, & perpetuam eccleſiaſticæ adminiſtrationis idæam, Chriſtiano orbi adorandam proponunt. Sed vnam, omnibus locis diſciplinæ formam, minùs recte accommodari, nondum ſatis manifeſtò liquet. Sed id primum ſcriptura, quæ communia potiùs diſciplinæ principia, quàm abſolutam formam proponit: id eccleſia, quæ iam inde ab apoſtolorum temporibus, varias adminiſtrationum ſpecies admiſit: id recta ratio, quæ iiſdem legibus omnes gentes deuinciri vetat: id ipſa potiſsimùm natura, quæ tantam in permultis nationibus morum diſsimilitudinem, & diſcrepantiam peperit, certiſsime videtur atteſtari. Qui vni adminiſtrationis formæ, diffuſam toto orbe eccleſiam, illigandam cenſent: vel leges ab hominum moribus alienas, neceſſariò conſtituent: vel vniuerſas prope gentes eadem ſtudia approbare: eoſdem mores amplecti: eiſdem perpetuò ritibus, ac ceremonijs delectari, natura multùm repugnante cogent.

Sed non tam hominum inquient naturam, quàm cœleſte verbum ante oculos nobis proponi oportet. Quo verbo, cùm ſanctiſsimas eccleſiæ recte gubernandæ rationes,

ones, perfectè deſcribi videamus: relicto veritatis fonte, turbidas errorum lacunas, ſine maximo ſcelere conſectari non poſſumus. Fatemur quidem, quòd ſcriptura diuinitùs inſpirata, ſacroſanctas diſciplinæ normas, ac præſcriptiones comprehendit: ſed illud etiam dicimus, quòd communiores ſunt hæ regulæ, quàm vt omnia, in eccleſia neceſſariò obſeruanda, ſpeciatim deſcribant. Sic ius naturæ, ad omnes homines communiter ſpectat: & quæcunq; ſunt recta, quæcunq; honeſta, quæcunq; etiam decora, ac venuſta generatim comprehendit. Non tamen omnia, quæ in toto vitæ curſu nobis ſunt agenda, particulatim proponit. Quare quemadmodum præter ius naturæ, quod communis quidam virtutis fons, & certiſſima recti, ac honeſti regula exiſtimatur, particulares in republica leges, quæ ſunt tanquam riuuli, ex perenni illo æquitatis fonte diducti, conſtitui neceſsitas poſtulat: ita præter ſcripturam, quæ æterna diſciplinæ principia nobis proponit: eccleſiaſticæ leges deſignari debent: quæ ſunt, vel ex cœleſtis verbi principijs collectæ quædam concluſiones: vel eorum, quæ communiùs ſunt propoſitæ, ſpeciales (vt ita loquar) determinationes.

Permulta, quæ ad diſciplinæ vim, ac rationem ſpectant, eccleſiæ permittuntur poteſtati, & arbitrio.

Sed quid? diuerſane loca, diuerſos ritus, & ceremonias requirunt? & cùm tempora mutantur, annon eccleſiaſticæ leges rectè commutari poterunt? Multa profecto, pro temporum ratione, proquè varijs quæ naſcuntur occaſionibus, rectè inſtitui poſſunt: quæ magnam quandoque vtilitatem eccleſiæ afferunt: interdum etiam ſalutem. Ad nouos morbos, noua ſemper remedia adhiberi conuenit. Ex malis moribus, optimæ haud raró naſcuntur leges. De inſtaurando ædificio rectè cogitatur, cùm vel vetuſtate, vel hominum incuria collabi cœperit. Quæ particularibus de cauſis, inſtituta fuerant: ſi cauſæ non permanſerint, natura ſua conſeneſcunt. Illi in eccleſiam abuſus haud rarò

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

irrepunt: vt quæ Iustis de causis admissa primò fuerant, superuacanea sint postea, & nullum omnino vsum habeant: & quæ magnum in principio decus, & ornamentum rebus ecclesiasticis afferebant: ea temporum progressu, non inutilia modò: sed maximè noxia deprehenduntur. Non eadem pueritiæ, & virili ætati conueniunt. Aliter res tractari solent, cùm primùm nascuntur: aliter, cùm multùm, & diu progressæ fuerint. Non eodem modo nauim dirigere, nec eundem cursum tenere possumus, in tranquillitate, & in sæuissimis procellis. Aliam requirit rerum administrationem ecclesia, cum pace, & ocio, & omni bonorum affluentia florescit: aliam verò, cum vehementior sæuit persequutionis ardor. Sed si prospera mihi semper, & æquabilis, & perpetua fortuna; si secundus vitæ, sine vlla offensione, cursus: si nihil non placatum, nihil non tranquillum, nihil non fœlix, & beatum mihi vnquam obuenisset: tam multas tamen mutationes secum tacitè tempus affert, vt disciplinam prorsus immutabilem nullo modo probare possem.

Sed hæc sine appositione exemplorum lentiùs disputantur: & pertinaces reformatorum animos, minùs permouebunt. Superiorum igitur temporum perlustremus faciem: & num vnam disciplinæ formam apostoli instituerint: num eandem in gubernanda ecclesia rationem, perpetuò sequuti sint, veteres illi herôes, qui apostolorum ætati finitimi vixerunt, parumper inquiramus. Quis enim non inanem veritatis putabit reformatorum sententiam, si haud penitùs esse immutabilem ecclesiasticæ administrationis formam, prima illa, & purissima apostolorum tempora manifestò demonstrent. Vt insistam igitur in ipsa causa: si nec semel admissa, vnquam rescindi: nec nouæ leges, & decreta, necessitate postulante sanciri possint: nunquam certè vel apostoli, in sabbati locum subsequentem diem, qui dies appellatur dominicus, surrogassent: vel a diffusa per orbem ecclesia institutum

esset,

esset, vt mysticus panis a Ieiunis sumeretur: præsertim cum actionum omnium regula, & norma Christus, post alios cibos sanctissimum hunc panem, & poculum eucharisticum, discipulis suis præbuisset. Nam si ecclesia ceremonias diuinitùs institutas abrogare: si nouos ritus, & nouas præscriptiones constituere: si cœlestium rerum meditationi dies status, ac solennes consecrare: si, quæ vno die præstari deus Iusserat, in alium diem differre: & acceptum â Christo sumendæ eucharistiæ morem immutare posset: nullius profectò est ingenij: nullius rationis, & consilij: nec hebes solum in theologicis, sed inconsideratus in omnibus: qui æternã disciplinæ idæam sacratissimis literis consignari dicit.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Sed sobrij, ac moderati ingenij homines, qui & discere sunt parati, & prompti docere, rationibus facilè flecti possunt. At incensam quis malitiam sedet? aut impudentium ora obstruat? Allatas enim a nobis rationes reformatores nostri, non quòd refutare sperent: sed qòud bellum cum ecclesia sibi perpetuò gerendum esse statuant: ad hunc modum conantur eludere. Quæ temporum inquiunt, aut locorum rationi affiguntur: temporibus mutatis, commutari possunt: sed non integra tamen, & perfecta disciplinæ vis, & potestas, eodem motu labefactata concidet. Iam verò opportunum eucharistiæ administrandæ tempus, inter externas rerum circumstantias numeratur: haud solidam attingit gubernationis ecclesiasticæ naturam. Hanc ob causam, veteres acceptum â Christo sumendæ eucharistiæ ritum, quod attinet præsertim ad rationem temporis, rectê immutârunt. Nam quæ tempori sunt annexa: quæ particularibus alligantur locis: quæque alijs sunt implicata circumstantijs, ecclesiæ Iudicârunt permitti arbitrio. Deinde tametsi temporis illius quod celebrandæ prius eucharistiæ consecratum fuerat, mutationem in ecclesia factam esse concedunt: mutationis tamen huius rationem, non ex

humani

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

humani cerebri vertigine profectam: sed ex sacratissimis literis fuisse haustam, & delibatam dicunt. Nam cùm ea, quæ apostolica acta memorat historia, cœleste hoc epulum, nunc noctu, nunc interdiu, aliquando cum alijs cibis, aliquando etiam aliter fuisse celebratum ostendat: certum quidem tempus, non vt olim sacrificij offerendi, ita nunc sanctissimi huius conuiuij ecclesiæ præscribi expressè testatur. Postremò addunt illud, quòd quæ ob particulares tantum causas instituta fuerant: causis non manentibus haud rectè manent: cùm verò Christus Iesus post alios cibos corporis sui sacramentum discipulis mandendum dederit: quòd nisi comeso prius paschali agno eucharistiam commodè instituere non poterat: tum qui sacramentum hoc, aut post alios cibos sumi: aut simul cum alijs misceri præcipiet: cùm causa præsertim, cur ita sumeretur, â rebus humanis iam diu abscesserit: is Christi institutionem ineptè, & pueriliter, & simiorum more imitari videatur. Sed profectò non tam parentum similitudinem, & speciem germana proles gerit: quàm reformatorum naturam hæ responsiones effingunt, atque exprimunt. Nam si leuiter eas præterieris: nihil firmius videbitur, aut neruosius: quòd si diligentiùs inspectæ, & ponderatæ fuerint: imbecillitatem suam apertè produnt.

Ac primum quòd sumendæ eucharistiæ tempus, in externis circumstantijs numerari dicunt: facilè id quidem, me non multùm repugnante obtinebunt. Sed hoc libenter vellem mihi explicent: num vt eucharistiam ecclesia, cùm post alios cibos adhuc sumeretur, â ieiunis sumi voluit: ita nunc, cùm â ieiunis sumatur: post cibos iterùm eam resumi rectè præcipiat. Nam si, vt inquit Augustinus, spiritui sancto hoc placuit, vt in honorem tanti sacramenti, dominicum corpus priùs intraret, quàm exteri cibi: si spirituale hoc animæ pabulum, cum communibus epulis permixtum, minùs dignè sumeretur: si sanctissimum hoc mysterium, cùm pristino ritu administratum

fuerit:

fuerit: non minora iam in ecclesiam, quàm olim in Corinthios mala importabit: vel celebrandi huius conuiuij tempus, non in externis circumstantijs numerari: vel externæ quædam circumstantiæ omni mutatione liberæ perpetuò permanere videantur. Quid ergo? dicat quispiam, num quàm antea disciplinam mutabilem esse dicebas, eam nunc perpetuam concludes? Minimè quidem: haud ita insanio. Sed quæ catholica semel ecclesia decreuit: ea ad temerarium cuiusuis arbitrium, ac libidinem impunè eludi, & violari nollem. Nec vero mutabilem affirmo disciplinam, quod eam omni temporis momento rescindi vellem: sed quòd sacræ literæ prohibere mihi non videntur: quin vel instituantur noua: vel vetera, si communis id vtilitas postulat, recte abrogentur. Quod vero secundo in loco, non vno semper, & eodem tempore sacrosanctum hoc conuiuium ab apostolis fuisse instructū narrant, id maxime tuetur causam nostram. Apostolos enim permulta haud priùs designâsse, quàm oblatas sibi viderēt grauissimas occasiones, manifestò declarat. Nam non ea tum erant tempora: non ij hominum mores: non tam remissa, ac dissoluta ecclesiæ disciplina: vt quæ semel decreta, & stabilita fuerant, impunè à quoquam violarentur. Quòd autem tertiò, illud tempus, quo sacratissimum epulum cum discipulis Christus celebrauit, iustis de causis fuisse mutatum dicunt: rem mihi gratissimam faciunt. Abrogari enim posse nonnullas disciplinæ partes, si communis præsertim id vtilitas postulet, liberè nobis concedunt. In qua sententia si constanter permanebunt, hoc vno contentus haud plura petam. Quamuis enim, sine expressis scripturarum testimonijs, nonnulla interdum, vt tolerare, ita etiam instituere soleo: eamque mihi libertatem, à Christo Iesu concessam arbitror: nihil tamen probare possum, quod non rectæ rationi consentaneum videatur. Sed quoniam necessarijs

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

de causis, eucharistiæ sacramentum à Christo Iesu post alios cibos ita institutum fuisse dicunt: vt ad eundem modum posteà, tam augustum mysterium minùs aptè pertractari posset: quàm verè id dicatur, haud fortaßis erit inutile diligentius expendere. Positum sit igitur in primis, quòd ipsa veritas manifestò euincit: in eucharistiæ post alios cibos administratione, nihil omnino mali contineri. Nisi enim hoc ita esset, nunquam profectò pietatis author, & depulsor mali Christus, ad res sacratißimas peragendas, id potißimum temporis delegisset. Quanta ergo sit ecclesiæ authoritas, ex hoc certißimè intelligatur: quòd morem natura haud malum: ex se haud inutilem ad pios vsus: & quod maximum est à Christo Iesu institutum, sine culpa immutare potuit. Imò verò aiunt, hunc morem immutare, ecclesiæ non modò licuit, sed maximè fuit necessarium. Christus enim grauißimis causis impulsus, post alios cibos, corporis sui sacramentum comedendum dedit. Quæ causæ statim abiêrunt: & non nisi Christus ad mortem retrahatur, reuocari possunt. Quare qui à particularibus causis pendebat ritus, diutius in ecclesia permanere non potuit. Non potuit? quonam ergo iure permansit? Annon acceptus à Christo ritus probari debet? Quid Apostoli cœlesti afflatu concitati eum approbarunt? Æquiusnè fuit, vt hic mos continuò rescinderetur? De eo igitur rescindendo quid nemo cogitauit: priusquam hæc mysteria parùm piè, & religiosè tractarentur? Num particulares ob causas Christum corporis sui sacramentum, post alios cibos instituisse, apostoli ignorabant? vbi spiritus prudentiæ, qui omnem illis veritatem monstrauit? Num quòd Christus abrogari cupiebat, auidiùs retinebant? vbi religio? vbi pietas? Num aliter, quàm venustas postulabat, hæc mysteria administrabant? vbi ardens fuit illud obedientiæ studium, quod in omnibus apostolis vbique exarsit?

Sed

Sed nimirum ita se res habet: in eucharistiæ, quòd ad ipsas præsertim rerum naturas attinet: post alios cibos administratione, nihil omninò mali continetur. Hunc ritum Christus Iesus instituit: hunc ritum apostoli religiosè obseruârunt: hunc ritum ab apostolis acceptum, castè, ac purè fideles amplexi sunt: donec inter communem cibum, & cœlestem panem distinguere desiissent. Sed cùm illud, quod initio à paucis bonis summa fiebat cum religione, posteaquàm in multitudinem venit popularem, cœpit multorum vitio, ac insolentia noxium fieri: ecclesiæ authoritate mutatus est mos à Christo acceptus: non quòd scriptura id iubebat: sed quòd communis ecclesiæ id postulabat vtilitas: & quòd mutati hominum mores: etiam rituum requirebant mutationem. Vt augustiùs igitur, ac religiosiùs de sacramento, quàm de communi cibo fideles sentirent: vt qui ad eucharistiam accedunt, in altissimarum rerum contemplatione rectiùs versari, & cœlestium mysteriorum vsum certiùs intueri possent: & vt non tam corpora saginarent, quàm reficerent animos: placuit apostolis: placuit sponsæ Christi, ecclesiæ: & perpetuò ecclesiæ custodi, ac gubernatori placuit spiritui sancto: vt à Ieiunis, nisi grauior forsan causa impediat, eucharistia perpetuò sumeretur.

Permulta, quæ ad disciplina vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Sed quid? variosnè ritus, & ceremonias tenella (vt ita loquar) ecclesiæ ex gentibus tum primùm collectæ ætas admisit: & cum ætate posteà, ac magnitudine creuisset: alligata fuit semper vni res sacras procurandi formæ? num sponsam suam Christus, rituum varietate, tanquam veste, diuersis, & preciosis rebus distincta, & quasi interpuncta, eleganter primò perpoliri voluit: & vnam posteà disciplinæ vestem, æstate, & hieme, procellis, & tranquilliori rerum statu, mœrore, & lætitia, illi perpetuò circumdari præcepit? Nollem, certè nollem eos, qui Christianos se dici, & haberi cupiunt, tam absurdè, & improbè de Christo cogitare. Est enim ille semper

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

sibi maximè similis: & æquali modo ecclesiæ se bonum, ac benignum præbet. Ita vnam nobis religionem præscripsit: vt varios, qui religioni ancillentur, haud prohibeat institui ritus. Ita vnius commendauit fidei sanctitatem: vt ad hanc fidem certius retinendam, permultas rationes adhiberi permittat. Quamuis enim nec diuinitus patefacta cœlestis doctrinæ oracula rescindere: nec res necessariò credendas effingere, & efformare ecclesiæ vnquam licuit: externa tamen adiumenta, quibus ad percipiendam animis sacrosanctam hanc doctrinam, faciliùs homines excitentur ab ecclesia comparari, haud vlla (vt arbitror) religio prohibet. Ita ergo hæc res se habet: salutarem familiæ suæ cibum affert Christus, quo suos omnes perpetuo nutriri præcipit: sed opportunum præbendæ huius alimoniæ tempus, & modum ecclesia designat. Declarat ille, quod obedientiæ genus obseruari: quas virtutes coli: quæ præstari officia: & quam morum sanctitatem vbiq; approbari expetit: liberè hæc constituit, eas administrationum formas, quas ad pietatem imprimendam animis, & exprimendam moribus, plurimum valere iudicat. Sed mutandas esse interdum has administrationum formas, id certisimè ostendit: quòd multi ritus, & ceremoniæ, tanquam fructus, cum ad maturitatem peruenerint, paulatim consenescunt: & quòd singulis prope ætatibus, exoriuntur noua quædam mala, quæ absq; nouis remedijs vix vnquam depellantur. Hanc ob causam veteres illi, qui apostolis, vt tempore, ita virtute propiores extiterunt: etiamsi multum semper attribuerent maiorum institutis: cum nouæ tamen se offerebant rerum occasiones: nouas leges præscribere, & nouas regendæ ecclesiæ vias designare, haud vnquam dubitârunt. Qua in re, qui eos à recto, & pio aberrâsse dicet: is suam quidē malitiam prodit: sed sanctissimos homines haud vllius conuincit criminis.

Iam quod ad sabbatum attinet, non iniussu numinis

id fuisse mutatum dicunt. Sed vbinam id iussum fuit: sacrisnè literis, an arcanis quibusdam patefactionibus: à Christonè, dum in terris adhuc ageret: an à Christi vicario spiritu, qui omnem apostolis veritatem monstrauit, minùs distinctè explicant. Sed tamen si in hac re constantes sibiipsis esse voluerint, è duobus alterum necessariò sequetur: vel enim omnia diuinitùs iussa fuisse dicent, quæ homines pij afflatu spiritus, instinctuque moti, aliquando decreuerunt: vel relictas esse ecclesiæ concedent, non scriptas quasdam traditiones, quæ cœlestis verbi nomine appellentur. Ac horum altero, doctißimorum hominum authoritati repugnant: haud quicquam impugnant sententiam nostram: altero autem eorum causam maximè adiuuant, quibus vbique se videri cupiunt inimicißimos. Vt vnus è diebus septem sanctißimæ rerum cœlestium meditationi consecretur, diuino iure præscribi dicunt. Est id omninò verum. Sed annon satis commode id præstari poterat, si sabbato integer honos mansisset? Minimè inquiunt: vmbræ enim abscedunt, cum lumen affulget: inutiles sunt figuræ, cùm veritas apparet: haud vllus est imaginum vsus, cum solida, & spirantia collustrantur corpora: & ceremonias quis rectè abrogari pernegêt, cùm id, quod significabant manifestò exhibetur? Cum ergo, quæ vetus sabbatum adumbrauit, in Christo perfectè impleta fuerint: hunc certè diem, cum alijs ceremonijs piè abrogari liquet. Vt verò esse hæc admittam omnia: ecclesiæ tamen licuisse, illum ipsum, quem maximè aptum iudicabat, ad sacra peragenda designare diem: ipsa profectò veritas euincet. Hæc enim quæ afferunt vetus sabbatum rectè abrogari: non quinam dies alius in eius locum surrogari possit, manifestò videntur monstrare. Sed ecclesiam varijs fuisse causis impulsam dicunt, vt in sabbati locum diem, quem vocamus dominicum, deligeret. Quis id vnquam pernegabit? aut quis

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

eam tribuet ecclesiæ authoritatem, vt ritus à cœlesti maiestate institutos, sine ratione, sine consilio, sine causa rescindat? Sed cùm sanctissimarum rerum meditationi, diem dominicum, rectè ab ecclesia fuisse consecratum affirment: quid non alias etiam ferias piè, ac prudenter institutas concedunt, quas eadem dei ecclesia, eodem animata spiritu: edocta ab eadem veritate: eidem Christo addicta, & deuota in eundem vsum, & finem destinauit? Quid enim? Num in sabbati locum diem dominicum deligere potuit: & ad recolenda dei beneficia, alios non potuit dies designare? Num institutas à præpotenti numine ceremonias abrogauit: & nouos cùm tempus postulat, non præscribat ritus? Vnus è diebus septem, precationibus, & religiosæ adorationi numinis certò consecrari debet. Esto, sed plures ad eundem vsum dies referri, nec ratio (vt arbitror) nec religio prohibet. Iustum fuit, vt quemadmodum Iudæi, die illo, quo creatis omnibus feriatus est deus, sabbatum tâquam κόσμου γενέσιον celebrârunt: ita etiam Christiani, die illo, quo è mortuis resurgens Christus orbem renouauit: sabbatum suum, tanquam mundi instaurationem, religiosè, ac sanctè celebrarent. Fateor: sed iustum similiter est, vt ad alia, quæ Christus nobis concessit, piè recolenda, alij ab ecclesia dies instituantur. Maximè esse necessarium, vt ad audiendum dei verbum fideles frequentiùs conueniant, in scripturis passim occurrit. Non nego: sed non minùs esse necessarium, vt ex communibus effatis certas ecclesia conclusiones eliciat: & quæ generatim, ad vniuersè proposita sunt, ad temporum, ac locorum rationem prudenter accommodet, communis rerum experientia testatur.

Quæ hucusq; à nobis allata sunt, permulta de quibus nihil certi definitur, in scripturis, ab ecclesia institui posse manifestò demonstrant. Si nullos enim ritus, & ceremonias sine scelere ecclesia institueret: quonam iure,

vel

vel â ieiunis ſumeretur euchariſtia, quam poſt alios cibos Chriſtus cum diſcipulis celebrârat: vel vt in ſabbati â domino inſtituti locum, dominicus ſtatueretur dies, potuit decernere? Si hoc diuinitùs fuiſſe iuſſum defendent, ſcripturas, quæ id teſtentur, nobis vehementer flagitantibus proponant. Si apoſtolos arcano ſpiritus afflatu, inſtinctuque permulta tum vidiſſe, tum ſtatuiſſe exiſtiment: vera quidem ſentiunt, ſed rem in controuerſia poſitam non attingunt. Si eccleſiam, vt hos ritus admitteret, iuſtis fuiſſe cauſis impulſam dicunt: cauſam noſtram maxime tuentur, & confirmant. Ab eccleſia enim, vt nonnulla conſtituat, de quibus nihil certi præcipitur in ſcripturis, rectam rationem poſtulare oſtendunt. Sobrij, ac moderati ingenij hominibus hæc probè ſatisfaciunt: ſed non ſatisfaciunt Puritanis. Ad quam enim ſententiam turbida animorũ tempeſtate ſunt delati, ad eam, tanquam ad ſaxum adhæreſcunt: & eijciendos eſſe ex eccleſia omnes ritus, qui diuinitùs non ſunt inſtituti, in ſolo errore conſtantes, importunè vrgent. Id ego, vt refellam, non è ſcripturis, quas in alienos ſenſus detorquere ſolent: non ex veterum ſynodorum præſcriptionibus, quas ad arbitrium ſuum, ac libidinem petulanter illudunt: non ex ſanctiſsimis patribus, quos ſi paululùm ſibi aduerſari perſpexerint, irrident, & comtemnunt: non ab antiquo eccleſiæ more, & conſuetudine, qua in re nihil ſani deprehendi contendunt: ſed ab ipſis Puritanis, ad debilitandam Puritanorum ſententiam argumenta petam. Cùm enim iſti ipſi, qui nihil omninò, quod ſacris non eſt literis præſcriptum, in eccleſia retinendum clamant, permulta, de quibus nihil præcipitur in ſcripturis, libenter admittant: vel diſciplinam haud penitùs illibatam ab illis fingi: vel nonnulla, quæ cœleſti non ſunt expreſſa verbo, ad eccleſiam gubernandam ſapienter interdum adhiberi patet. Baptiſmum reformatores, etiamſi non magni faciunt, retinent tamen adhuc in eccleſia:

Permulta, quæ ad diſciplinæ vim, ac rationem ſpectant, eccleſiæ permittuntur poteſtati, & arbitrio.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

sia: eâque in re, â fratribus suis Anabaptistis, licet timidius, & diffidentiùs solent dissentire. In eius tamen administratione permulta admittunt, quæ sacris literis esse Iussa haud vnquàm ostendent. Vellem enim nobis apertè dicant, quænam scripturæ infantem ad baptismum, die dominico, aut alio die, cùm concio habetur, afferri præcipiunt. Declarent vbinam legerint, tam necessariò esse copulandam cœlestis verbi prædicationem, cum administratione sacramenti: vt nisi concio habeatur, renascentiæ lauacro infans aspergi non posit. Ostendant etiam, qua sacratissimarum literarum parte, integram, & absolutam baptismi ritè administrandi formam plenè, & perfectè contineri putant. Apostolis suis Christus, vt gentes omnes docerent, & sanctissimo hoc lauacro aspergerent, expresse præcepit. Sed illis verbis complexus non videtur omnia, quæ ad sacramenti huius administrationem necessariò spectant. Vtrum enim à ministro tantùm administretur baptismus, an ab ijs, qui sacris non sunt deuoti: celebreturne solum in conuentibus publicis, an priuatis etiam in ædibus: diebusne dominicis, aut ferijs solennibus præbeatur, an alijs diebus, quibuscunque, nihil certi hoc in loco definitur. Christum Iesum Apostolos alloquutum fateor: sed totamne ecclesiam apostoli, an verbi tantùm ministros representârint, haud ineptè (meo Iudicio) in dubium vocetur. Verum nihil de hac re erit controuersiæ: liberè quæ cupiunt, â nobis obtinebunt: verbi tantùm ministros apostoli representabant: nihilo tamen fœliciùs hanc litē expedient. Nā vt docendi munus ad ministros propriè pertinet: & tamen eos, qui periculo animarum errant, non solùm homines priuati, sed quælibet etiam fœminæ ad pietatem saluo officio, priuatim instituant, & informent: ita baptismi administrandi ritus, sacerdotali ordini propriè defertur; sed potiùs tamen quàm ex hac vita sine salutari lotione infantes emigrent, baptismus à priuatis piè fortas-

sis

sis administrari videatur. Deindè certamnè verborum formulam, in baptizando retineri oporteat: an ratus e-rit baptismus quibuscunq; verbis collatus, modò non in hominis nomine conferatur: & num in trium persona-rum nomine infantes baptizari debeant: an satis illud fuerit, si in Christi vnius nomine tingantur: quonam pacto quis rectè intelligat, si non certi quidpiam de hac re, ecclesiæ præscribat authoritas.

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

Ex his quæ diximus, permulta, quæ sacris literis communiùs sunt proposita, ecclesiæ authoritate, & prudentia certo definiri, & determinari constat. Quo perspicuè declaratur, quàm parùm sit ponderis in eorum oratione: qui vel absolutam ecclesiasticæ administrationis formam, in nouo fœdere comprehendi: vel synagogam ecclesiæ, dignitate præstare audacter affirmant. Nam si omnibus locis, & temporibus vna disciplinæ ratio haud quidquam aptius, quàm vna vestis pueritiæ, iuuentuti, & ætati multò prouectiori conueniat: quis ecclesiæ suæ Christum in eo minùs benignè prospexisse dicet: quòd eisdem ritibus, & ceremonijs, perpetuò eam noluit alligari? Si variæ, & repugnantes hominum naturæ, eisdem legibus haud rectè deuinciri possunt: sanctissimi in ecclesiam amoris quod certius indicium, à Christo Iesu exhiberi potuit: quàm quòd pro varijs, quæ nascuntur occasionibus: varias leges, variáque instituta præscribi: & ad nouos morbos, noua semper remediorum genera adhiberi voluit? Si princeps ille noster Christus, etiámsi non omnes disciplinæ partes præscripsit: communes tamen proposuit regulas, quas in regenda ecclesia semper intueri oportet: tum pluribus ornatam fuisse beneficijs Iudæorum synagogam: quàm diffusam per orbem catholicam ecclesiam: haud tota vnquam probabit reformatorum natio.

Grauiter certè peccarent nostri reformatores, si matris tantùm voluntatem negligerent, & authoritatem

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

oppugnarent. Verùm latiùs patet eorum scelus. Non solùm enim ecclesiam contemnunt: sed ecclesiæ concessa, à Christo beneficia amplissima, ingratè repudiant. Nam cùm necessarium esse dicunt: vt quæ ad res sacras ritè pertractandas pertinent, scripturis describantur: imminuunt profectò sanctissimam illam libertatem, quam sanguine suo Christus ecclesiæ procurauit. Particularis enim illa præceptionum descriptio, dura admodum seruitute Iudæos obstrinxit. Quòd si omnia iam ecclesiæ, vt olim synagogæ particulatim proponi oporteret: haud fœlicior esset noster, quàm Iudæorum status: & libertas, non data nobis ad vtilitatem: sed oblata potiùs ad contumeliam videretur. Neque tamen hanc ob causam, vel rectiùs fuisse consultum Iudæorum genti: vel minùs iam diligi Christianos à præpotenti numine, vllo modo existimare conuenit. Haud minùs enim (vt arbitror) diligit mater suos liberos, cùm ad virilem statum perueniunt: quàm dilexit priùs, cùm præmansos illis cibos, in ora inseruit: & filio suo haud magis fauere parentem bonum, cùm sub duris eum pædagogis, ac tutoribus constituit: quàm cùm familiam permittit eius arbitrio, & potestati, manifestiùs est, quàm vt confirmationis indigeat. Iudæos apostolus, pueris magnæ spei destinatis, qui ad præfinitum à patre spacium, sub pædagogis viuunt: Christianos verò hæredibus, qui ex tutorum potestate dimittuntur, eleganter comparat. Quemadmodum igitur pueris omnia, quæ fieri necessaria videantur, nominatim recenseri, tenellæ ætatis imbecillitas, & inopia puerilis consilij postulat: sed qui ad virilem perueniunt ætatem, & robore, & iudicio ita confirmantur: vt rectè nonnunquam, etiamsi ab alijs non sint admoniti, quid sibi sit agendum intelligant: sic Iudæis, vt paruulis omnia particulatim descripta fuerant: sed maiorem iam libertatem, plenior, & perfectior ecclesiæ ætas requirit. His haud ineptè

illud

illud attexi posſit: quod pluribus, & præſtantioribus etiam donis eccleſiam ſuam Chriſtus locupletauit: quàm ſynagogæ vnquam conceſſa fuerant. Quam ob cauſam multò rectiùs eccleſia ritus, & ceremonias inſtituere: & ad ſingulas temporum, ac locorum rationes, prudentiùs leges accommodare poteſt.

Permulta, quæ ad diſciplinæ vim, ac rationem ſpectant, eccleſiæ permittuntur poteſtati, & arbitrio.

Sed hîc impuri quidam pietatis hoſtes, quibus fortaſsis in hac cauſa noſtri reformatores ſe adiungent, ſæpè, & multùm ſciſcitari ſolent: quîd tam diſpares eccleſiæ gubernandæ rationes: quîd tam diuerſæ docendi viæ: quîd tam variæ ceremoniarum, & rituum mutationes à perenni maieſtate, quæ non minus ab inconſtantia, quàm â ſcelere abhorret approbantur. Sed ſi agricolas, hi homines non reprehendunt, quod familijs ſuis, alia æſtate, alia verò hieme munera, & officia præſcribunt: num cœleſtem agricolam reprehendent deum, quòd in vineto conſerendo, non eundem ſemper ordinem obſeruat? Si patri liceat liberos ſuos aliter in pueritia, aliter in iuuentute regere, ac gubernare: annon piorum patri licebit deo, eccleſiæ ſuæ pueritiam multis præceptionibus, & ceremonijs, quaſi verbis aſpectabilibus erudire? & prouectiorem eius ætatem, aliquanto firmiori, magiſque virili gubernare diſciplina? Improbari non poteſt medicus, quòd pueritiæ, & ſenectutis morbos haud eodem modo curandos cenſet: & animorum medicum improbabunt, quòd ad ſananda ſuorum delicta, medicinas quidem varias, at ſemper vtiles, & temporum, locorum, atque hominum naturæ, maximè accommodatas adhibet? At vero eccleſiam eum in modum temperatam vellent, vt diuerſas adminiſtrationũ formas haud multùm requirat. Quîd non ergo ita conſtitutam optant rerum naturam: vt nec temporum varietates, aut diſtinctiones, nec diērum, & noctium viciſsitudines, nec diſpares rerum ſpecies, & fi-

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

guræ, nec instabiles denique mutationes, vllum in orbe locum haberent. Quîd non hominum naturam imprudenter effictam, & efformatam dicunt: quòd infirmi primò infantes nascimur: quòd robore deinde vt ætate crescimus, & confirmamur; quòd debilitamur postea, & vires amittimus: & quòd decurso fugacis æui spacio, in terram postremò resoluimur. Elucet in eo dei constantia, quòd eandem semper doctrinam tradidit. Verùm quòd externum nonnunquam mutat, & informandæ, & regendæ ecclesiæ modum: non se mutationi obnoxium ostendit: sed ad varias, & mutabiles hominum naturas se prudenter accommodat. Quod autem pro varijs hominum moribus, varias leges præscribi permittit: in eo se benignum nobis, & beneficum præstat: Iustiúsq; hanc ob causam, laudemus eius bonitatem: quàm duriùs & inclementiùs nobiscum agi conqueramur.

Sed omnes ritus, & ceremonias, omnes legum ac præscriptionum normas pietati consentaneas esse oportet: at si dissimiles sint inter se quonam pacto erunt pietati consentaneæ? Quoniam ad vnum semper finem tendunt: licet non eodem semper modo. Nam vt veteres illi legumlatores, etiamsi ius naturæ ante oculos pariter sibi propositum habebant: diuersas tamen ferebant leges, quòd non eiusdem cœli, non eiusdem soli, non eiusdem dispositionis hominibus, eas præscribebant: sic ecclesia, etiamsi sacrosanctum Christi Iesu euangelium intueatur: non eandem tamen semper amplectitur disciplinæ formam: quod homines lingua, moribus, & institutis differentes, eisdem ritibus violenter alligâri iniquum putet. Ex his patet, quòd varias administrationum formas magna nobis necessitas peperit: sed eximium hæc varietas affert ecclesiæ decus. Nam vt in picturis, collustrata cum opacis: nitida cum incultis: & læta cum horridis permixta, vehementer delectant: vt in corpore hu-

mano varia membrorum compoſitio, non neceſsitati tantùm, ſed venuſtati ſeruit, & rubore perfuſus niueus candor, cernentium oculos incredibili voluptate afficit: vt in muſica, grauibus ſonis acuti temperati, & vocis elationes, depreſsiones, variæque inflexiones, Iucundiſsimum concentum, & auribus longè gratiſsimum efficiunt: vt diuerſæ rerum naturæ, admirabilem orbi elegantiam, ac pulchritudinem afferunt: ita varijs ritibus, & ceremonijs, eccleſia tanquam veſte, ex rebus illis contexta, quæ non minùs materiæ varietate, quàm præſtantia delectant, eleganter adornatur. *Aſtitit Regina à dextris tuis* (*inquit David*) *veſtitu deaurato, circundata varietate.* Quibus verbis quænam ceremoniarum differentia: quæ munerum atque officiorum diſtinctio: quæ donorum varietas: & quæ ſpiritualium diuitiarum copia, in Chriſti eccleſia locum habitura eſſet, certiſsimè prædixit. Sed hæc varietas in veſte reperitur: nam quæ Deo maximè placet, vna intus reperitur fides. Multas quidem ceremonias ſpecie diſpares, genere laudabiles, in externa eccleſiæ gubernatione retineri, religio nõ prohibet: at charitate animi verè pij copulantur. Variari hęc veſtis rectè poteſt, non poteſt rectè diſcindi: diuerſas cõplectatur obſeruationum formas: ſed aduerſis contentionibus ne vnquam diſsipetur. Ita ergo liberi mei, vtinam ita de hac veſte diſceptent: vt contentionum acerbitate ſolicitæ ſuæ matri mœrorem nõ afferant. Eccleſiæ Deus, præcepit ſuæ: vt populi ſui: Iudaici nimirum, à quo Chriſti eccleſia deſcendit: & domus patris ſui: ſynagogæ videlicet, aut templi, in quod Iudæi, ad ſacrificia Deo patri offerenda conueniebant, memoriam ex animo deponeret. Et liberos ego hortarer meos, vt ſynagogã laudibus haud nimium efferant: haud nimium admirentur. Benignè fateor ſynagogæ proſpexit Deus, quòd ſanctiſsima pietatis myſteria, aſpectabilibus quibuſdam ſignis illi adumbrauit. At eccleſiæ proſpexit multò benignius:

Permulta, quæ ad diſciplinæ vim, ac rationem ſpectant, eccleſiæ permittuntur poteſtati, & arbitrio.

 quòd

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

quòd voluntatem suam, sine vmbris, & figuris apertè patefecit. Si veterem synagogam deus haud multùm dilexisset: nunquam profectò, quos ab ea obseruari vellet ritus, tam certò declarâsset: sed ecclesiam ardentiori amore complexus videtur: quòd ceremonias numero pauciores, & præstantiores significatione illi commendauit. Magnum fuit beneficium, quòd omnia quæ ad regendam ecclesiam spectant, particulatim Iudæis descripsit: sed maius, & illustrius haberi debet: quòd spiritu prudentiæ, ecclesiam suam tam plenè instruxit: vt tantam nō requirat præscriptionum molem. Quare cùm vna omnibus locis, & temporibus administratio, sine maxima confusione alligari non possit: cùm rituum, & ceremoniarum varietas, incredibilem ecclesiæ venustatem, & elegantiam afferat: cúmque vt vetera instituta abrogari: ita designari noua, publicæ interdùm salutis intersit: concludatur id tandem, quod primò propositum fuerat: concessam esse ecclesiæ eam authoritatem: vt cùm variæ se offerunt occasiones, leges quidem varias, ad pietatem tamen fouendam, & sustentandam, omnes semper aptas instituat, & præscribat.

Nam quòd vnum esse legislatorē obijciunt: eáque ratione legum ferundarum potestatem ecclesiæ student abripere: quàm absurdas ex sanctissimis testimonijs conclusiones eliciunt, minimo labore ostendi potest. Nam vt vnum esse legislatorem: ita vnum esse patrem: vnum magistrum: vnum, eúmque solum reipsa bonum, scriptura dicit. Haud iustè tamen reprehendi possunt: qui patrum nomen, & authoritatem non repudiant: sine scelere permulti, doctorum munus, & officium sibi assumunt: &, etiamsi pauci sunt: nonnulli tamen sunt, quos viros bonos verè appellemus. Hæc enim propriè, ac præcipuè solius Dei sunt: sed secunda quadam ratione conueniunt hominibus. Nam vt dona sua Deus, ita etiam nomina cum hominibus benignè communicat. Sic vnus est

pater

pater, vt ex eo fluat omnis paternitas, in cœlo, & terra: sic vnus est magister, vt mentes non solū imperitas, sed maximè barbaras, & efferatas ad pietatem instruat: & ex hominibus planè stupidis: & balbis omnium efficiat eloquentissimos: sic vnus ille bonus haberi debet: vt de eius plenitudine omnes accipiant, quicunq; dicuntur boni: sic deniq; legislator est, vt per eum reges regnēt: & gubernatores iusta constituant. Per eū enim principes imperant: & illustres sunt omnes orbis præsides. Apud eum, vel is potiùs est æterna lex: is est immensa iustitia, è qua lex omnis, qua hominum commodis rectè consulitur, seu riuulus è fonte deriuatur. Nam vt luna salutare orbi lumen affert: & tamen solis radijs accensa lucet: vt viuunt omnes integri corporis partes: in quas tamen vita ex anima defluit: sic iustas interdum leges haud iniustè homines componunt: sed hanc potestatem à deo accipiunt: & ad dei gloriam, atque hominum salutem referre debent. Quarè vnus est legislator primarius, qui authoritate sua leges constituit. Sed quæ iusta sibi videantur designent etiam alij, non tam sua, quam concredita sibi a domino potestate. *Nulla est potestas nisi a deo (inquit Apostolus) Ac quæ sunt potestates, à deo sunt instituta. Qui potestati repugnat, dei institutioni repugnat. Item: magistratus dei minister est, vt bonis benè posit agier: & dei minister est ad irrogandas illis pœnas qui faciunt malè.* Non minus ergo dei ministri sunt, qui summā in rebuspublicis authoritatem obtinēt: quàm qui ministrorum munus obeunt in ecclesia. Sed illi dei sunt ministri, vt iustitia æquitate, ac potentia orbem regit, & gubernat: hi dei ministri sunt, vt perditum nequitia hominum genus in Christo sibi reconciliat. Verùm cum magnis regibus, & orbis gubernatoribus nihil antiquius esse debeat: quàm vt respublicas maximè fœlices, & beatas efficiant: cúmque nec fœlicitas sine pietate comparari: nec pietas extra ecclesiam, vel doceri, vel disci posit: ad eorum munus & officium,

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesia permittuntur potestati, & arbitrio.

qui

Permulta, quæ ad disciplinæ vim, ac rationem spectant, ecclesiæ permittuntur potestati, & arbitrio.

qui tam augusto nomine, ac potestate, haud indignos se ostendent, hoc necessariò pertinere constat: vt non solùm rebuspub. sed ecclesijs, ê quarum salute pendet rerumpub. salus, prudentèr consulant: & vt non solùm æquitatem, sed fontem æquitatis veram religionem perpetuò tueantur. Quam ob causam, hoc ab illis requirit religio, & communis omnium salus: vt quotiescúnque postulat occasio, adhibitis in consilium exploratæ pietatis, & prudentiæ episcopis: (rectissimè enim de ecclesiæ negotijs iudicabunt qui omnem ætatem in sanctissimis studijs contriuerunt) salutares constituant leges, quæ religioni christianę ancillentur, & subseruiãt. Quæ leges, cùm ferantur ab ecclesiæ filijs. Ad ecclesiæ bonũ tendãt: in ecclesiæ versentur, & quasi consumantur negotijs: a sponsa Christi ecclesia condi, haud immeritò dicantur. Quàm absurda autẽ, & improba est eorum sententia, qui in rebus ecclesiasticis pij principis, & profani, christianáque religione non imbuti, eandem esse authoritatem censent, ex hoc maximè apparet: quòd nulla hominum societate, hosti, & custodi, oppugnatori, & patrono, alieno, & domestico idem licere possit. Cùm Christianam fidem imperatores olim oppugnarent: conueniebant (fateor) episcopi, vt de communibus ecclesiæ negotijs disceptarent. Quos conuentus, principum, qui hostili erant animo in religionem authoritate minimè approbatos, ab ecclesiasticis scriptoribus episcopales appellari constat. Sed postquam amplectebantur pietatẽ magni principes: ab his semper concilia indicta: ab his quæ decreta erant in concilijs certò confirmata, pondus in ecclesia, & authoritatem habebant. Ἀφ᾽ οὗ inquit Socrates, χριστιανίζειν ἤρξαντο οἱ βασιλεῖς, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται.

Quòd rectè nonnunquam variari ecclesiæ ritus affirmaui: id illis (vt existimo) haud erit ingrãtum: qui perinde quasi magis delectaretur Deus inuentionum varietate,

tate, quàm ſanctitate vitæ: res optimè conſtitutas vbiq; violari: & nouas, ac veteribus prorſus inauditas admini- ſtrationum formas, eaſq; non annuas: ſed vel menſtruas, vel, ſi fieri poſsit, diarias inſtitui cupiunt. Qui homines, ne in eodem ſecum errore me verſari, & effrænata quadam omnia innouandi libidine ardere putent: his, quæ priùs dicta ſunt, nonnulla hoc loco attexenda arbitror. Vt ergo, quæ certis ſunt affixa locis, vbiq; obſeruari non poſſunt: vt temporibus circumſcripta, haud perpetuò manent: vt conſeneſcunt breui, quæ particularibus de cauſis inſtituta fuerant: vt nouas leges, nouæ ſemper occaſiones requirunt: vt ad creſcentem nequitiam, maiorem interdum diſciplinæ ſeueritatem adhiberi: & cum lætiſsimis etiam frugibus, zizania nonnunquam tolerari, cõmunis omnium ſalus poſtulat: ita quæ tota obſeruat dei eccleſia: & inſtituta ſunt ab apoſtolis, vel apoſtolicis viris: & perpetuò proſunt Chriſtianæ ſocietati, religioſè vbiq; retinenda iudico. In eo enim, quod approbârunt apoſtoli, nihil mali continetur: quis periculum in ea via metuet, quam omnium piorum veſtigijs tritam, & celebratam perſpicit? & quod perpetuò eccleſiæ vtilitatem afferet: quis id vnquam reſcindendum putabit? In hoc rerum genere comprehẽdi exiſtimo ieiunium quadrageſimæ, quod ab apoſtolis fuiſſe inſtitutum locuples author Hieronimus affirmat: & dierum etiam illorum obſeruationem, quos in memoriam beneficiorum, quæ à Chriſto accepimus, quotannis celebramus: quem morem ab apoſtolis ſimiliter dimanaſſe, Auguſtinus dicit: & prætcrea eccleſiaſticorum officiorum diſtinctiones: diſpares inter eos qui ſacris ſunt deuoti, tum honoris, tum authoritatis gradus: & archiepiſcoporum, metropolitarum, atq; patriarcharum munera, quæ, vt ab apoſtolorum ætate, in hanc vſque diem permanſiſſe lux temporum, & nuncia vetuſtatis hiſtoria declarat: ita non ſine eccleſiæ pernicie labefactari poſſe, & ratio, & rationis confirma-

Quæ tota obſeruat dei eccleſia, & perpetuo proſunt Chriſtianæ ſocietati, ſine maximo ſcelere violari non poſſunt.

Sacris peragendis certi ab eccle. consecrentur dies, & statu designentur ieiuniorum tempora.

strix ipsa experientia certissimè ostendit.

Verùm hic grauiores nobis pugnas paratas video. Nam Christi ministris (inquiunt) non conuenit ista honoris exuperantia: cum Christiana libertate confligit præscripta legibus differentia ciborum: Iudaicam in terras seruitutem reportat temporum, dierum, mensium, & annorum obseruatio: libera esse oportet, nó coacta: sponte suscepta, non ab alijs imposita piorum ieiunia: ipsam verò quadragesimam temerè primò, & imprudenter fuisse inuectam: & ineptè, ac superstitiosè hoc tempore obseruari, certissimis rationibus declarari posit. Id si ita sit, veterum synodorum præscripta, decreta patrum, omnia antiquitatis exempla, & constantem, ac perpetuum Christiani orbis consensum, haud immeritò reprehendam. Horum enim authoritate, stata, ac solennia ieiunij tempora celebrari cœperunt. Ab his ego primùm in fraudem impulsa; quadragesimam necessariò mihi obseruandam duxi. Fefellerunt me plurimùm constitutæ ab apostolis (canones vulgò appellãtur) præscriptiones, ac normæ. Hæ enim quadragesimæ obseruationem, & peruetustam, & ab apostolicis fuisse ductam tẽporibus, certissimè mihi persuaserũt. Nimiùm apud me valuerunt Elibertini concilij decreta: quæ certis anni temporibus, certa obseruari ieiuniorum genera, seuerè præcipiunt. Temerè vobis obsequuta videar, Gangrenses patres: vestro enim admonitu, impulsuq; mota, solennia ieiuniorũ tempora, prudẽter institui, & piè obseruari iudicaui. Tu etiam Laodicena synodus communi illorum temporum errore, ad ieiunia inconsideratiùs approbanda abrepta fueras: nondùm enim degustâras nouam hanc philosophiam, quæ veritatem tibi certiùs commonstrâsset. Quin & tu Carthaginense concilium, si vera dicant reformatores, è salutarium synodorum albo expungi posis: nam sacratis hominibus, qui ieiunia publicè recepta contemnunt, æternas inussisti notas ignominiæ.

Duriùs ergo, & inclementiùs, tam ſeueras ieiunij leges reformatorum, præſertim iudicio veteres ſynodi hominibus imponunt: quibus aliquantò liberiùs, & genealiùs viuere: tum lex diuina, tum ipſa etiam natura permittit. Sed non minùs duri, hac in parte erant patres, ex omni ætatum memoria longè optimi, & doctiſsimi. Quam enim de ieiunijs ſententiã, antiquæ ſynodi cõplexæ ſunt: eandem patres in ſuis quiſq; ſcriptis, licet tẽpore, ac loco diſiuncti eſſent: & alijs de rebus haud parùm inter ſe diſcreparent: ſingulari animorũ conſenſione confirmârunt: & quò quiſq; magis ſanctitate eminuit: indicta publicè ieiunia, eò cupidiùs approbauit. Quã ob cauſam, vel minuantur oportet, quæ tanta cũ inſolẽtia reformatores de ieiunijs affirmãt: vel ſolus â Chriſto paſſo ad infœlicia hæc tẽpora Aerius, verũ peruidiſſe iudicetur. Epiſtolas ergo tuas, ſanctiſsime Ignati, adulterinas eſſe cõtendunt. In id enim impudentiæ diuerticulum ſi nõ ſe receperint: adulterata penitùs, & turpiſsimis ſordibus aſperſa, eorum doctrina habeatur. Magnis te laudibus, beatiſsime Eirenæe, nobis vehementer probantibus, efferunt, quòd epiſcopo Romano aperte reſiſtere, ac reluctari minimè dubitâſti: ſed quòd quadrageſimæ ieiunium haud penitùs cõtemni voluiſti: in eo te fatali iſtorũ tẽporum ſuperſtitione implicatũ fuiſſe affirmant. Chriſtiani orbis decus, & lumen Athanaſium, vt nimium ieiunij amatorem, acriter, & acerbè perſtringunt. Sed annon omni ſe virtuti inimicos profitentur, qui condemnant Athanaſium? Imprudentem etiam Baſilium, & nullius conſilij Gregorium Nazianzenum fuiſſe dicũt. Hi enim ſanctiſsimas precationes, perpetuis ieiunijs: ieiunia, rerum cœleſtium meditatione: meditationem, ſolitudine, & locis deſertis aluerunt. Nam vt ardentiori ſtudio precari poſſent, frequenter ieiunabant: vt â ieiunijs nulla eos auocaret voluptas, aſsiduè precabantur: vt de rebus cœleſtibus liberiùs meditarentur, ſolitudinem petebant, & loca maximè deſerta: vt ſolitudinis nulla eos caperet ſatietas: ſanctè,

Sacris peragendis certi ab eccle. conſecrentur dies, & ſtata deſignentur ieiuniorum tempora.

Sacris peragendis certi ab eccle. consecrentur dies, & stata designentur ieiuniorum tempora.

ac religiosè meditabantur. Sed nec tu Chrysostome iniquam bonorum hominum reprehensionem potes effugere. Nam malus ille Genius, qui quòd virtutū tuarum inuidia deflagraret, pium illud, & verè Christianum pectus, tam sæuis contentionum fluctibus, & procellis agitauit, haud quiescit adhuc: sed tumulum tuum inuadit: beatos cineres dispergit: scripta, quibus nihil, vel religiosius, vel eloquentius aspexit vnquam Christianus orbis, furiosè dilacerat: & animam tuam, si fieri posset, è fœlici sanctorum consortio deturbaret. Magnam tibi inuidiam cùm viueres, summus ille tuus continentiæ, sobrietatis, ac omnis virtutis amor conflauit: & nunc incredibile illud abstinentiæ studium, quod in scriptis adhùc tuis mirabiliter spirat: ventri potius, quàm virtuti seruientes reformatorum animos vehementer offendit. Ad nimiam te vitæ seueritatem potiùs fuisse implicatum, quàm propensum ad humanitatem, clerici tui, quòd perditos, & luxu diffluentes eorum mores ferre non poteras, odiosè clamitabant. Et nunc quòd indicta publicè ieiunia temerè, pro cuiusuis arbitrio, ac libidine violanda non censes: superstitiosæ dierum obseruationi, te nimis deditum esse inuerecundiùs vociferatur reformatorum familia. Aerium, Epiphanius, indicta ab ecclesia ieiunia labefactantem, in hæreticorum numero habuit. Sed damnatam olim, & explosam Aerij sententiam, acriter, & animosè permulti iam defendunt: & maximæ vecordiæ condemnant Epiphanium. Et quod longè absurdissimum iudicari debet: qui omnes, quæ vnquam extitère hæreses, ex Augustini, & Epiphanij sententia sibi describendas assumūt: Aerium, ecclesiasticæ disciplinæ perturbatorē nequissimum, nulla fuisse hæreseos turpitudine inquinatum: contra Epiphanium, contra Augustinum, contra omnium vetustatis testimonia affirmant. Sed cùm delicijs suis Aerio, liberè se oblectent: haud vnquam mihi riualis famam affectus: nec reprehendam, quòd tanta

conten-

contentione eum defendũt, quẽ haud iniustis de causis possunt amare. Multum namq; valet ad copulandas hominum mentes, voluntatum, studiorum, & sententiarum consensio. Dandum est aliquid eorum egestati; & opinionis, quam tuentur, inopiæ, & miseriæ. Cùm ab Aerio abscesserint, haud vnum ex omni antiquitate patronum reperiunt. Postulat natura, vt omnes diligant suos parẽtes. Quo iustiùs illis detur venia, si familiæ suæ principem, & primum opinionum authorem omnibus modis tueri cupiũt. Consimili etiã libidine in Ambrosij scripta inuolant: & Christi sponsam, quam liberam esse oportebat, ritibus nõ necessarijs ab eo fuisse alligatã dicunt.

Sacris peragendis certi ab eccle. consecrentur dies, & stata designentur ieiuniorum tempora.

Qui catholicæ ecclesiæ robur, & florem ad hunc modum contemnunt: quid mirum, si Augustino; & Hieronimo fauere non possint? Cum patribus enim alijs hi patres tam suauiter consentiunt: vt quadragesimæ obseruationem ab vno omnes spiritu accepisse videantur. Hìc si quadragesimæ ieiunium antiquissimarum synodorum authoritate, & consensu omnium patrum approbatum fuisse dicerem: ad permouendas modestiorum mentes, satis id quidem per se valeret. Quis enim non libenter id defendet, quod à clarissimis synodis probatum perspicit? Quis homines eos, quorum pietatẽ veteres historiæ, eruditionem varia quæ reliquerunt, ingenij monumenta orbi commendant: ad illigandas superstitione hominum mentes simul conspirâsse dicet? Quid enim si patres, vt humanæ infirmitatis foetus natura: & alumni institutione, à recto nonnunquam desciuerunt: num ergo quæ omnes patres singulari animorum consentione docuerunt: sine maximis rationibus, & expressis scripturarum testimonijs repudientur? Si omnes patres fatali quadam calamitate in scriptis suis priuatim errores approbârunt: at sagaciùs opinor, quid veritati esset consentaneum peruestigârunt: cùm ex omnibus terrarum partibus in vnum locum acciti veniebant: cùm coeleste auxilium fletu, & lacry-

 cry-

Sacris peragendis certi ab eccle. consecrentur dies, & stata designentur ieiuniorum tempora.

chrymis implorabant: cùm aliorum sententiam audiebant benignè, & suam sine contentione proferebant: cùm quæ ab omnibus dicta fuerant, non populari trutina, sed cœlestis verbi statêra ponderabant: & cùm omnia quibus vel decidantur dubia, vel obscura explicentur, summo studio, & diligentia adhibebant. Quòd si singulas etiam synodos â vero grauiter aberrâsse dicent: quæ omnibus tamen erant approbata haud vellem contemnant. Eò namque impudentiæ si proruperint, ad extremam impietatem hoc vnum deest: vt ecclesiæ suæ preces, permulta annorum secula deum repudiâsse: & solum delegisse Aerium, quem familiariùs doceret, impudenter affirment. Itane vero? Purissimus ille sanctitatis spiritus, castas mentes repudiauit, & amauit impuras? In moderati ingenij hominibus habitare noluit, & sacraria sibi asciuit in contumacibus, in superbis, in luxu diffluentibus, in contentionis cupidioribus, quàm veritatis? Hæc quidem reformatrici huic theologiæ satis bellè consentiunt: sed moderati ingenij homines, cum clarissimis orbis luminibus errare: quàm â talibus magistellis erudiri: & præclariùs ad laudem, & ad commoditatem fructuosiùs putabunt.

Sed quoniam in patrum consensu, in synodorum decretis, in exemplis vetustatis, ad decidenda dubia, parum esse roboris Iudicant: firmiores afferemus rationes, quæ sententiam nostram certiùs tueantur, & confirment. Ac primò reformatoribus meis, vt arbitror, haud displicebit illud Augustini: Ieiunia sacrarum literarum authoritate sæpius commendantur: sed certa ieiunandi haud designantur tempora. Ieiunij enim, vt aliarum etiam rerum, quæ in externis numerantur circumstantijs, & tempus, & modum, & formam ecclesiæ iudicio permitti dicunt. Quòd si alios dies ieiunitati, & abstinentiæ sine culpa consecrare possim: quid non eâdem ratione consecrem hanc, quam dicimus quadragesimam? Si Ieiunia,

nia, quæ à particularibus ecclesijs sanciuntur, rectè violari non possunt? quid tandem in causa est, quòd probata in hanc ætatem ab omnibus pijs quadragesima, sine scelere violetur. Susceptum piè ieiunium, tres ad fines refertur. Vel enim ieiunant pij, vt impuros affectus, tanquam ferociores equos subtracto pabulo reprimant, & in rationis gyrum perducant: vel abstinent à cibis, qui non magis naturam, quàm naturæ labes, & corruptelas nutriunt, vt ad cœlestium rerum meditationem aptiùs, & religiosiùs comparari possint: vel parciori victu corpora sua castigant, vt animorum humilitatem, & demissionem testentur: & vt omnibus, quæ in humanos vsus creauit Deus, se prorsùs indignos esse ostendant. Quamobrem cùm tantas vtilitates omnibus piè viuere cupientibus Ieiunium afferat: quid vt inutilis condemnatur quadragesimæ obseruatio? Quod semper si impetrari posset, ab omnibus, fieri oporteret: id vt aliquando fiat, an non rectè decernatur ab ecclesia? Si statos publicis precationibus dies, certò dicare, & consecare licet: quid stata non licet Ieiunia, tanquam pedissequas precibus adiungere: præsertim, cùm abstinentia terrenis sordibus immersos hominum animos ad cœlestia contemplanda haud raro excitet: & alas adijciat orationi?

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Quòd si omnes sanctè, ac religiosè viuerent: huiusmodi leges constitui minimè necessarium videretur. Sed cùm à rerum bonarum studijs tam auersi sint multorum animi: vt ad morum sanctitatem vix vllis stimulis impelli, & instigari possint: temerè profectò, & inconsideratè reformatores me reprehendunt: quòd eas de ieiunijs leges tulerim: quibus homines, si non perfectè ad virtutem flectantur: aliquantulùm tamen diuellantur à nequitia.

Piorum quidem vitam, suauissimo Ieiuniorum

odore

Rectè fuit indictum quadragesima ieiunium.

odore semper conditam, & temperatam esse non dubito. Minùs ergo fuit necessarium, vt quæ voluntate sua homines præstant: ea vi, ac minis præstare cogerentur. Sed legum catenis constringendos semper putaui dissolutiorum animos: vt ad quas exercitationes vix vnquam sponte, ac libenter accedant: ad eas inuiti, ac reluctantes pertrahantur. Neque tamen hanc ob causam, ieiunia publicè indicta, homines pij temerè violabunt. Nam & ecclesiæ matris edicta, summo semper in honore habenda Iudicant: & exemplo suo, contumaces animos ad obedientiam permouere student: & excitare offensiones, quibus vel perturbentur infirmiorum mentes, vel â pietate abstrahantur, vehementer pertimescunt.

Qui puritanæ labi vehementiùs fauent: â ministellis suis ieiunia indici, honestum inprimis, & decorum putant. Quid ergo? Ratane erunt, quæ miseræ, & imperitæ plebeculæ, longè imperitissimum ministrorum genus præcipit: & irritus planè, atque inanis erit, tam illustrium synodorum, tam sanctorum patrum mirabilis consensus? Plùs ne apud prudentes valebit pauculorum, & improborum temeraria voluntas: quàm constans, & perpetuum totius ecclesiæ Iudicium? Si grassetur pestis: si peste sæuior gentem aliquam, affligat fames: si atrox, & funestum bellum excitetur: si Christianum orbem ingens aliqua calamitas percellat: tum conuocari hominum cœtus: ieiunia publicè indici: supplicationes, & vota pro humani generis salute religiosè nuncupari, ipsi etiam reformatores licere dicent. Qua in re si ab eo, quod iustum est, & pium minimè desciscant: quonam Iure condemnetur Christi ecclesia: quod vt Christiani omnes admissa sibi flagitia, communi consensu simul deplorarent: & calamitates illas, quæ semper impendent, mœstè deprecarentur: certa quædam tempora, ieiunijs dicari voluit? Nam si vt depellantur ea, quæ corpus tantùm affligunt, fletu, ac lachrymis ieiunare oportet: quas tandem lachrymas?

chrymas? quæ ieiunia? quas preces? quàm acerbum animi dolorem? quàm flebiles querelas adhiberi æquum est, ad propulsanda illa mala, quæ infinitam edunt stragem animarum? Haud sæuior certè est vlla fames, quàm penuria cœlestis verbi: nec calamitosior potest esse pestis, quàm clades, & ruina virtutum: & quo vnquam bello plures perierunt: quàm eo, quod cum ecclesia, cum pietate, cum religione Christiana, Satanas assiduè gerit? Ab his malis, vt nec tuti esse vnquam possumus: ita nec securi esse debemus. Impendent enim semper: acriter instant, & vrgent: perpetuas minantur calamitates: & singulis diebus, haud paucas animulas in Orcum detrudunt. Quid rectius ergo, aut ordini conuenientius esse potest: quàm vt ad tollenda mala, quæ assiduè premunt: assidua si fieri possit, afferamus ieiunia?

Recte fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Hanc ob causam, eorum pietatem plurimùm semper approbaui: qui vt imminentes humano generi calamitates depellerent: quotidiè precabantur, & quotidiè ieiunabant. Sed cùm id commodè ab omnibus præstari non possit: hoc tamen æquum puto: hoc postulo ab omnibus, qui inter ecclesiæ filios se, & esse, & haberi cupiunt: vt totius saltem anni decimas fletu, & lachrymis deo consecrent. Anni decimæ sunt, sex, & triginta dies. Quos dies, mei filij, cum precibus, & ieiunijs piè consumitis: totius quasi anni decimas, præpotenti maiestati dedicatis. Ac totidem reperiuntur in quadragesima dies: si dies dominicos, in quibus laxata erat aliquantulùm veterũ ieiunia, inde abstrahantur. Verùm vt impleri posset sacer ille numerus quadraginta dierum, quem ieiunio suo sacratissimo Christus consecrârat: ad triginta sex dies, quos anni decimas continere diximus: quatuor etiam prioris hebdomadæ dies, prudens, ac pia vetustas adiecit.

Ex his, quæ diximus, ieiunium quadragesimæ prudenter fuisse institutum patet. Sed iam quidnam in causa sit,

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

quod verno potissimum tempore celebratur: quàm potero, breuissimè declarabo. Eo namque pacto, & summam veterum religionem, ac virtutem, & incredibilem reformatorum malitiam, cum singulari stultitia, vel furore potius coniunctam, omnes facilè perspiciant. Vt ergo, quæ pro salute humani generis à Christo meo gesta fuerant, omnium animis altius imprimi, & infigi possent: non tantùm narrari ea, cùm publici aguntur piorum conuentus: sed depicta quasi tabella oculis repræsentari volui. Quam ob causam, in illarum rerum memoriam, quæ præcipua redemptionis nostræ mysteria complecti visæ sunt: anniuersarios quosdam dies festos piè (vt arbitror) officiosè (vt scio) institui, & sanctissimæ religioni consecraui. Omnes enim Christianos, etiamsi ad percipienda pietatis mysteria, nimis se dociles, & attentos præbeant: de his, quæ nostra causa subiuit Christus, augustius, ac religiosius iudicaturos existimaui: si nudam eorum, quæ semel gesta sunt, memoriam, summa religione, ab omnibus pijs celebrari perspicerent. In recolenda autem harum rerum memoria, hunc ordinem obseruaui: vt cum anniuersaria quadam vicissitudine, recurrit id tempus, quo primùm gestæ fuerant, quotannis celebrarentur. Sic enim illustriorem quasi speciem, & imaginem magis expressam, in meorum animis, imprimi posse existimaui: si tempus, cum tempore: rei repræsentatio, cum reipsa: & cùm mysterij, quod celebratur natura, exterior celebrandi ratio conueniret. Sed nec par est illud silentio præterire: quòd quos in Christo Iesu affectus, cum permagna illa in homines profunderet beneficia, in quorum honorem anniuersarios dies festos agimus, extitisse perspexi: ad hos, vt fidelem decet sponsam, piè, & religiosè me semper conformaui. Cùm Christum gaudio perfusum scripturæ narrant: gaudio etiam ipsa vehementer exulto: quibus in rebus Christum dolore fuisse affectum

tum constat: in illis recolendis, summo ipsa mœrore affligor.

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Natalem Christi diem maximo semper gaudio colui, & ad eundem modum à meis omnibus coli vellem. Haud vllam enim salutis meæ curam viderer habere: si incredibilem illum, ac planè diuinum æterni verbi in humanum genus amorem, non omnibus modis celebrandum censerem: quod, vt inuisam propter scelera hominum naturam, in pristinam reconciliaret cum deo gratiam, carnem ex nostra carne, & naturam ex natura assumpsit: & cum cœlo terram, cum immortalitate mortalitatem, cum præpotenti diuinitate fragilem, & imbecillam humanæ stirpis sortem, coniunctione, si mysterij magnitudinem respicias, perquàm admirabili, si vsum nobis inde venientem spectes, verè salutari copulauit. Sed passionem Christi summo animi dolore hucusque celebraui: & tantam esse hominum nequitiam, vt non alio modo, quàm solo Christi sanguine expiari possit, meritò semper lamentata sum. Resurrectione Christi, repressum esse nequitiæ impetum, retusum etiam aculeum mortis, & domitam, atque debilitatam inferorum potestatem haud ignoro. Hanc ob causam in tanti memoriam beneficij festos dies summa cum religione quotannis ago. Diem etiam illum, quo die redemptor humani generis triumphali curru in cœlum ascendit, omni semper lætitia colui, & gratijs pro tanto beneficio habendis consecraui. Glorioso enim Christi adscensu, patefactum naturæ nostræ iudicaui in cœlos aditum, qui corporeæ, & concretæ moli præclusus anteà, & omni ex parte obstructus videbatur. Quem adscensum, vt futuræ opportuno tempore ascensionis nostræ indicium, & pignus certissimum, in meorum animis certò imprimi, & altè infigi cupio: vt nec vlla vnquam nequitia deleri: nec obliuione obscurari possit. Cùm enim nec Christiani, à Christo: nec casta, & fidelis

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

sponsa, à sponso [illegible] à capite corpus: nec à corpore membra distrahi penitùs, & diuelli possint: vbi Christus cum cæteris regnat, ibi Christiani omnes fideles aliquandò regnare sperent: qua iam in coelis foelicitate, sponsus perfruitur, eam sponsæ suæ castissimæ benignè concedet: quas in sedes caput præcessit, in eas subsequatur corpus: quibus in locis corpus versatur, in illis singula etiam membra collocentur.

Rectè igitur (vt arbitror) natalitium Christi diem, & resurrectionis, atque ascensionis memoriam, maximo semper gaudio, & lætitia celebraui. Verùm vt perpetuò mœrori consecrarem, diem illum, quo mundi peccata Christus sacratissimo suo sanguine expiauit: causis fui adducta grauissimis. Quónam enim iure, castè, ac fidelis sponsa haberi possim: si de grauissimis, mariti longè dulcissimi doloribus, absque omni dolore cogitem? Egonè, mi Christe, cùm tu maximas causa mea ærumnas pertulisti, delicias conquiram? Egonè, cùm anima tua fuit tristis ad mortem, inani lætitia effusè exultabo? Quo tempore pectus tuum lancea percussit, pectus me demulcebunt illecebræ voluptatum? Et cùm vt miseris, ac perditis salutem afferres, Ætna grauius coelestis iræ onus subijsti, egonè tam acerba regis mei calamitate non mouebor? Imò verò quicquid dixerint, mei reformatores ad affectionum tuarum normas, sanctissime Iesu, affectus meos componam: certissimæ mihi erunt regulæ, tuæ actiones: omnium eorum, quæ pro salute mea te præstitisse intelligo, celebrabo memoriam: teque, decus meum, solatium, & præsidium vnicum semper studebo imitari. Nam cùm scelera nostra filij multò charissimi Christum Iesum è coelo deduxerint: ærumnis agitarint: affixerint cruci: transfixerint clauis: percusserint lanceis: & omni crudelitatis genere trucidarint: quæ tam perdita mens? quod tam barbarum ingenium? quod tam ferreum pectus? qui tam feri mores? quæ tam

inuere-

inuerecunda impudentia? quæ tam immanis natura inueniri poterit? cui hæc non meritò lugenda videbuntur? Has ob causas mirabilem illum, & nobis nunquam ex memoria deponendum passionis diem, quo morte sua mortem, & patientia inferorum potestatem, Christus deuicit: fletu, & lachrymis hucúsque celebraui: & eodem modo à meis omnibus celebrari vellē. Nō quòd preciosa Christi vulnera, aut scaturientem è fisso, & lacerato eius corpore sanguinem, aut mortem illam acerbissimā vlla nobis incommoda attulisse existimem: sed quòd tam insanabilem esse naturæ nostræ morbum: tam mortiferam luem, vt nulla planè medicina, nisi solo Christi sanguine curari possit, mœstè lugeo, & lamentor. Qui luctus, vt maximè est seiunctus â desperatione, ac diffidentia: ita solatij verè salutaris, est plenissimus.

Rectè fuit inductum quadragesima ieiunium.

Sed cùm Christiani de Christi morte ita meditari debeant: vt plurimos ex ea fructus percipiant: cùm plurimos fructus tum maximè percipiant: cùm sub peccatorum mole ingemiscentes, cœlestem misericordiam humiliter, ac demissè implorent: cùm vix vlla etiam res humiliores faciat eorum animos, quàm ieiunium piè susceptum, & sancta abstinentia: iustissimè profectò mei filij matri vestræ ecclesiæ placuit: & ecclesiæ præsidi haud displicuit deo: vt singulis annis priusquàm adueniret salutare illud passionis tempus, aliquot dies Christiani ieiunarent. Sic enim impuros affectus facilius reprimi: sic euelli paulatim stimulos libidinum: sic inflatum immitium animorum tumorem: sic coërceri superbiam: sic ad humilitatem, ad abstinentiam, ad castam, ac sobriam viuendi rationem, liberos meos rectius institui, & assuefieri semper existimaui. Nam qui tempore quadragesimæ, eiusmodi in modum instituit vitam, vt aspernetur oculis pulchritudinem rerum: vt non odore, non tactu, non sapore capiatur: vt excludat auribus omnem suauitatem: vt bellum indicat voluptati: vt quæ maximè appetit, sem-

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

per repellat: vt non solùm ab interdictis, sed â concessis, & legitimis abstineat: hic certè reliquo vitæ decursu, nonnullum tam præclaræ abstinentiæ gustum habebit: vt cautiùs, ac religiosiùs, ab omni scelere, & nequitia posteà declinet. Iam verò ecclesia huic quadragesimæ ieiunio, eum in modum alia adiunxit ieiuniorum tempora: vt cùm plura, & grauiora, quàm perferri possint, nunquàm præcipiat: ad frugalitatem tamen, ad parsimoniam, ad expultricem vitiorum, & omnium virtutum nutricem abstinentiam, Christianos semper excitandos censeat.

Vtilem etiam esse rebuspublicis, quadragesimæ obseruationem, & ratio docet: & quæ in huiuscemodi rebus est maximi ponderis, & momenti, certissima communis vitæ experientia testatur. Quod nemini mirum Iudicari debet. Nam quæ perfringunt nequitiæ vires, & vitæ puritatem tuentur, & conseruant: ad rerumpublicarum salutem plurimùm sempèr conducunt. Sed si omnibus, eo tempore, quo animantia pariunt, tenellos, & immaturos adhùc fœtus in matris lacte, aut sanguine coquere liceat: exhaurietur certè rerum copia: & necessaria humano generi alimenta paulatìm absumentur. Id si non statim apparet; haud mirandum est. Antiqua enim ædificia haud statìm corruunt: nec vitam continuò adimit, grauior humorum intemperies. Ea rerum est natura, vt paulatìm augeantur, & paulatìm salutaribus destituta adiumentis intereant. Rerumpublicarum euersiones, legum contemptio, optimæ violatio disciplinæ, & ordinis, venustatis, atque omnium etiàm virtutum expulsio præcedit. Atque verò, si crebris veterum ieiunijs, omnia ad vitam, & victum necessaria plurimùm sempèr creuerint: cui tandèm dubium esse poterit, quin improbus, & dissolutus horum temporum luxus, miserrimam in res humanas penuriam adducet? Sed multò rectiùs, prudentes rerumpub. moderato-

res,

rès, de his rebus Iudicabunt. Qui si respub, quas tuentur, & regunt, opibus firmas, copijs locupletes, gloria amplas, virtute honestas, & stabilitate immotas videre cupiunt: crescenti quotidiè reformatorum nequitiæ, quàm primùm obsistent. Nam certè quibus in rebus ecclesiæ salutem oppugnant: oppugnant simul rerumpub: decus: cùm reijciunt ea, quæ pietatem alunt: eodem opere incîdunt neruos, & vincula humanæ societatis.

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Sed homines improbissimi, si non penitùs vt â pudore; ita â pudoris simulatione derelicti fuerint: eorum quæ faciunt, si non bonam, at aliquam rationem afferre solent. Quas igitur rationes hi homines adhibent? quænam argumenta proponunt? quas afferunt scripturas? quibus innituntur synodorum decretis, quos sequuntur patres? aut quòniam plura peruiderunt, quàm sacra antiquitas: quas arcanas patefactiones nobis commonstrare possunt? vt ieiunio quadragesimæ, tanquam re inconsideratè primò, & temerè in orbem inuecta, & superstitiosè deindè in hanc vsque ætatem obseruata, Christianas mẽtes piè liberari posse statuamus? Rationum permagnam afferunt copiam: quas partim ab Aerio, tanquàm preciosissimam supellectilem â tam præclaro sibi parente commendatam accipiunt: partim â recentioribus quibusdam scriptoribus: doctis illis quidem, & pijs: sed antiquitati acerbiùs quàm par est nonnunquã iratis mutuantur. Aerius, vt est apud Epiphanium, ieiunia quæ obseruat ecclesia, & festos, quos in Christi honorem agit dies, ad hunc modum olìm oppugnauit. *Quid est Pascha* (*inquit*) *quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rursus addicti estis. Non enim oportet Pascha peragere. Pascha enim nostrum, immolatus est Christus. Sed neque ieiunium* (*inquit*) *erit ordinatum. Hæc enim Iudaica sunt, & sub Iugo seruitutis? Iusto lex non est posita: sed paracidis, matricidis, & reliquis. Si vero omninò volo Ieiunare: qualemcùnque eligam diem à meipso, & Ieiunabo propter*

libertatem.

Rectè fuit indictum quadragesima ieiunium.

libertatem. Vnde (inquit Epiphanius) apud ipsos studium est, vt potiùs in die dominico ieiunent: quarta verò, & prosabbato edant: sæpè etiàm quarta ieiunant,non ex statuto, sed propria(vt inquit)voluntate. In diebus autem Paschatis, quandò apud vos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones: ipsi à summo manè obsonantur carnèque, & vino venas suas explentes Cachinantur, ridentes, ac subsannantes, eos, qui sanctum hunc cultum hebdomada Pascatis perficiunt. Hæc Epiphanius de Aerio,& infœlici eius sobole. Sed quisnam hic Aerius vobis videtur? quorum causam defendit? Quibùsnam vt opinione, sic vita,moribus, ac institutis Iure simillimus habeatur? Fallor ego, aut ecclesiæ reformationem tum sedulò moliebatur: & apertè fauebat Puritanæ labi? Triumphent haud immeritò reformatorũ signiferi:& generis sui antiquitate, ac splendore glorientur. Nam quas ego opiniones non ita pridèm è gurgustio aliquo prodijsse Iudicaui: ante milleducẽtos annos,& in ecclesia perspectæ:& quòd maiori fortassis in honore ponent: ab omnibus ecclesiæ filijs condemnatæ fuerant.

Sed vt magna virtute viri, cùm hunc hæresiarcham olim condemnarent: non vnum tantummodò Aerium, sed omnem eius sobolem, & totam simul reformatorum gentem condemnârunt: ita reformatores, vt iniurias sibi, ac suis illatas vlciscantur: cum legibus ecclesiasticis, cum institutis maiorum, cum exemplis vetustatis, & cum omnibus rectæ rationis præscriptionibus, ac normis, æternum bellum susceperunt. Profligatum olim Iudaismum, in terras à nobis reportari dicunt: quòd temporum, ac diẽrum discrimen admittimus: & superstitiosum approbamus delectum ciborum. Quòd ad temporum discrimen attinet, de Iudaismo nos purgabit Hieronimus. At qui vir? quantus theologus? quàm vehemens superstitionis oppugnator? quàm fortis defensor illibatæ puritatis?

puritatis? Qui citiùs profectò rescinderet ea, quæ nonnunquam prodesse possint: quàm improba, impura, & superstitione illita toleraret. Explanans igitur illa Pauli verba: *dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis: dicat, inquit, aliquis, si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbati obseruantes, & Parasceuen, & diem dominicam, & ieiunium quadragesimæ, & paschæ festiuitatem, & pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum, diuersa in honorem martyrum templa constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, non eosdem dicet Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros: non enim Azimorum Pascha celebramus, sed resurrectionis, & crucis: nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed spiritus sancti veneramur aduentum: & ne inordinata congregatio, populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum paritèr omnes veniremus: non quòd celebrior sit illa dies, qua conuenimus: sed quòd quacunque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur. Qui verò propositæ quæstioni acutiùs respondere conatur: affirmat illud, omnes dies æquales esse: nec per parasceuen tantùm, Christum crucifigi, & die dominico resurgere: sed sempèr sanctum resurrectionis esse diem, & sempèr eum carni vesci dominicæ: ieiunia autem, & cõgregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus constitutos, qui magis sæculo vacant, quàm deo: nec possunt, imò nolunt, toto in ecclesia vitæ suæ tempore congregari: & ante humanos actus, deo orationum suarum offerre sacrificia. Quotus enim quisque est, qui saltem hæc pauca, quæ statuta sunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet, vel ieiunare semper, vel semper orare: & diem dominicam accepto domini corpore indesinentèr celebrare gaudentibus: non ita & Iudæis fas est, omni tempore, immolare agnum: Pentecosten agere; tabernacula figere: ieiunare quotidiè.*

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Adhibemus etiam ciborum delectum: sed longè alitèr quàm Iudæi. Abstinebant námque illi à nonnullis ciborum generibus: quibus vitæ, ac morum impuritatem, & scelerum sordes adumbrari existimabant. Sed Christianorum eò potissimùm spectat abstinentia, vt impuri reprimantur affectus animorum. Neque verò Manichæorum more à cibis, vt à rebus natura malis, deoque inuisis abhorremus. Bona enim erant omnia, quæ creauit deus: & nihil est reijciendum, quod sumitur cum gratiarum actione. Sed maximè sobria, ac parca victus ratione edendi cohibemus licentiam, vt in ciborum vsu, quod eleganter dixit veterum quispiam, *modus eligatur: non res creata damnentur. Vltimis temporibus, à fide permulti deficient, inquit Paulus: qui matrimonia contrahere prohibebunt, & à cibis præcipient abstinere.* Rectè quidem. Sed vt nuptias statim non condemnant: qui vt precationibus aliquantò liberiùs vacent, à legitimo ad tempus sese temperant nuptiarum vsu: sic nec cibos natura impuros iudicant: qui ieiunia suscipiunt eam ob causam, vt rationi affectus faciliùs possint subijci. Dæmoniorum sine dubio doctrinas tradunt: qui res ad humani generis salutem diuina beneficentia creatas, in rerum malarum numero statuunt. Quòd si in eodem versentur scelere: qui abstinentiam à carnibus cœlesti lege concessam putant: tu, tu beatissime Paule, quod dicere horret animus: sed huic dicto precor ignoscat deus: anhelitu Dæmonum, non sanctissimo numinis afflatu concitatus fuisti. Sic enim epistola ad Corinthios scribis. *Si esus officit fratri meo: nunquàm sum carnem comesurus, ne fratrem meum lædam.* Quibus similia sunt illa ad Romanos: *omnia quidem pura sunt: sed in eo malum est, si quis cum alterius offensione vescitur. Decet neque carnes comedere, neque vinum bibere, neque quicquam, quo tuus frater impingat, vel lædatur, vel infirmetur.* Quibus verbis tanquàm laqueis quibusdam pressa faucibus Aerij proles, tetrum illum, quem de cœlo

nunquàm

nunquàm hausit spiritum, efflare cogitur. Nam si sancta dei opera non condemnat: qui ne offendatur infirmus frater, â carnibus abstinere necessarium putat: quîd non etiam ille, ab eodem scelere purus censeatur: qui, vt vitam castiùs, & religiosiùs instituat, frequenter solet ieiunare? Puris nulla esse impura dicit apostolus: & eandem sententiam Puritani semper in ore habent: eamque solutæ illi, quam sibi assumpserunt, viuendi licentiæ, inprimis conuenire iudicant. Sed huius sententiæ interpretem Augustinum si audire vellent: erroris sui (arbitror) si non planè insanabilis sit impudentiæ morbus: tandèm aliquando eos pœniteret. *Mundis (inquit Augustinus) omnia sunt munda, secundum naturam, in qua creata sunt: non tamen omnia secundum significationem munda primò populo Iudæorum: nec vobis omnia, vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis apta sunt: sed cùm sua cuiq; redduntur: & naturalem ordinem seruant, omnia munda sunt mundis.* Et alibi, cùm eadem Apostoli verba recitâsset: *hos inquit propriè designat, qui non propterea temperant à talibus cibis: vt aut concupiscentiam suam refrænent: aut infirmitati alterius parcant: sed qui istas carnes immundas putant: & earum creatorem deum esse negant. Nos autem teneamus apostolicam disciplinam dicentem, quòd omnia munda sunt mundis: seruata moderatione euangelica, vt non grauentur corda nostra cruditate, & vinolentia.*

Rectè fuit indictum quadragesima ieiunium.

Ex his Augustini verbis facilè colligi poterit: quòd Iudæi sub lege: quòd pij in ecclesia Christiani: quòd impurissimæ humani generis sordes Manichæi, â certis ciborum generibus abstinebant. Abstinebant Iudæi â rebus nonnullis, quas non tam natura, quàm significatione impuras iudicabant. Abstinent Christiani, vt rationi repugnantes animorum affectus faciliùs reprimant. Perpetua Manichæi exercebant ieiunia: quòd carnes, aliàque ciborum genera, & natura sua spurca esse, atque impura, & â diabolo condita statuebant.

Rectè fuit indictum quadragesima ieiunium.

Quod erroris virus, tam longè, latéq; anteactis temporum ſpacijs diffuſum fuerat: vt de presbyteris, diaconis, alijſq; in clero poſitis, Ancirano olim concilio hoc ſtatutum eſſet: *vt etiamſi à carnibus abſtinerent: carnes tamen tanquam res natura impuras, non contemnerent: ſed contingerent potius. Et à carnibus qui ſe abſtinere volent, liberam habeant poteſtatem: ita tamen vt ſi oleribus coquantur, eadem tanquàm carnibus polluta non iudicent: ſed ex his cibum aſſumant: quamuis à carnibus ſe abſtineant.* Execratur eos Gangrenſis ſynodus, qui carnis eſum condemnant: ſed quod animaduerti vellem à puritanis, eos, qui indicta ab eccleſia ieiunia violant, ſimul execratur. Verùm, vt quam de his rebus ſententiam veteres habuerunt, liquidò cognoſci poſsit: quid Bracarenſi olim ſynodo decretum fuerat, libet adijcere. *Si quis immundos putet cibos carnium, quas deus in vſum hominum dedit: & non proptèr afflictionem ſui corporis, ſed quaſi immunditiam putans, ita abſtineat ab ijs: vt nec olera cocta cum carnibus praguſtet, ſicut Manichæus, & Priſcillianus docuerunt, anathema ſit.*

Inſtat adhuc Aerij proles: & eo, quod in os intrat, neminem inquinari dicit. Quod cùm facilè, & libentèr conceſſerim: optimarum tamèn legum violationem hominem inquinare: & reum facere maximi ſceleris, ſempèr affirmabo. At ſtatis inquiunt, & definitis temporum ſpacijs alligari ea non conuenit, quæ ſemper, ſi fieri poſſet, adhiberi oporteret. Imò verò ſtata rectiſsimè deſignentur abſtinentiæ tempora: vt qui ſempèr ieiunare, aut non poſſunt, aut non volunt: temporibus ſaltem præſcriptis, eccleſiæ authoritate permoti, libentèr ieiunent. At ſi ieiunare volo, dicit Aerius, qualemcúnque diem mihi ipſe conſtituam: & ieiunabo proptèr libertatem. Rectè hoc faciat. Sed ſi nullam diêrum præſcriptionem in eccleſia retineri oporteat: ſi cuiuſque permittatur arbitrio, quo demum tempore ieiunare velit:

haud

haud vnquàm certè cõueniet totus christiani populi exercitus: vt communibus ieiunijs, & precationibus, tanquàm coniunctis simùl copijs, cum tenebrarum potestate cõfligat. Nam cùm vescuntur alij, alij ieiunabunt: cùm alij læti tia exultant, alij deflebunt peccata: alij vno tempore ieiunandum cẽsebunt: alia tẽpora alij magis opportuna iudicabunt. Haud pauci etiam erunt, qui petulantiùs irrisis piorum ieiunijs gulæ irritamenta, & alimenta nequitiæ semper conquirent. Quæ res varias primò quæstiones, tum rixas, & concertationes, perturbationem deinde omnium rerum, & extremam confusionem excitaret. Elegãter Bernardus. *Acies multorum pariter pugnantium est quærenda: vbi tot sunt auxiliarij, quot socij: & tales qui dicere possunt cum Apostolo, non ignoramus astutias inimici. Congregatio enim pro fortitudine sua terribilis est, sicut castrorum acies ordinata. Væ autem soli: quia si ceciderit, non habet sublevantem. Odio habebunt pij ecclesiam malignantium: sed adijcient, id quod sequitur: lauabo inter innocentes manus meas.* His optimè, quadrat illud Leonis. *Publica præferenda sunt proprijs: & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Teneant (inquit) diligentiam suam obseruantia singulorum: & contra nequitiæ spiritualis insidias, implorato diuinæ protectionis auxilio, cælestia quisque arma arripiat. Sed ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus prælijs possit fortitèr facere: tutiùs tamen, & fœliciùs dimicabit: si contrà hostem, palàm in acie steterit, vbi non suis tantùm viribus certamen ineat: sed inuicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures cum hoste confligunt, quàm singuli: nec facilè patet vulneri, quem opposito scuto fidei, non sua tantùm, sed aliena fortitudo defendit.*

Rectè fuit indictum quadragesima ieiunium.

De cæteris depulsi præsidijs Aerij noui, ad Eusebium confugiunt: & causæ suæ perditæ certissimum ab eo auxilium afferri clamant. Quid ego audio? Qui ieiunia

Recte fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

qui fletus, qui lachrymas, qui vigilias, qui omnem corporis perdomandi rationem plurimùm ſemper dilaudat? Iſne approbatum ab eccleſia ieiunandi morem labefactare ſtudet? Qui veterum inſtituta ſummo in honore habet, iſne totius eccleſiæ leges contemnit? Sed quid affert Euſebius? Is (inquiunt) Montanum, primas de ieiunijs tuliſſe leges, manifeſtò docet. Sed falluntur grauiter in hac re, vt in alijs: & veritatis ignoratione, in maximis erroribus verſantur. Nam Euſebius quinto eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro, Apollonij nobilis, ac eruditi inprimis ſcriptoris, qui flagitioſam oppugnauit Mōtani hæreſim, verba refert. οὗτός ἐστιν (inquit Apollonius) ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας, ὁ Πέπουζαν καὶ Τύμιον Ἱερουσαλὴμ ὀνομάσας: hic Montanus matrimonij vinculū diſſolui poſſe docuit: hic tanquàm legiſlator ieiunia præſcripſit: Hic Pepuſan, & Tymion (paruæ erant Phrygiæ ciuitates) Hieruſalem appellauit. A Montano leges de ieiunijs conſtitutas fuiſſe Apollonius dicit: non quòd ſanctiſsima ieiunandi conſuetudo, à tam impuro primùm hæretico inuecta fuerat: falſum enim id eſſe teſtatur antiquitas: ſed quòd abrogatis eccleſiæ ieiunijs, nouum induxit ieiunandi morem. Declarat enim Hieronymus, quòd Montanus, Priſca, & Maximilla poſt Pentecoſtē celebrârunt Quadrageſimam: quòd ablato ſponſo filij ſponſi debeant ieiunare. Malè enim intelligebant illa Chriſti verba: poſſunt-ne mœrere, qui celebrant nuptias, quamdiu cum eis ſponſus adeſt? ſed veniet tempus, cùm ab eis ſponſus auferetur: tum ieiunabunt. Deinde præſcripſit leges de ieiunijs Montanus, non quòd vllam puritatis curam haberet (nā in delicijs habuit hic matrimonij oppugnator, hic mirificus laudator caſtitatis, Maximillam, & Priſcam alienas vxores) ſed quòd rerum à domino conditarum legitimum vſum tolleret, ac naturam condemnaret.

Verùm ſi alia ieiuniorum onera, ab humeris ſuis excutere non poſſunt: excutient tamen quadrageſimam.

Eius enim obseruationem cum superstitione, cum scelere, cum insigni Christi Iesu contumelia coniunctam dicunt. Quo diligentiùs nobis cauẽdum est, ne tantam animis nostris caliginem, vel patrum authoritas, vel antiquitatis canities offundat: vt antiqua pro veris, exempla pro regulis, delirantium somnia pro sanctissimis oraculis temerè approbemus. Non ignoro autem quàm grauiter nobis in hac causa officient, & obstabunt homines quidam, & docti, & pij: sed vna in re paulò minùs considerati, quòd conuellere adoriuntur, quæ commoueri non possunt, dũ omnia, quæ purior vnquam obseruauit vetustas, vt res maximè impuras, funditùs rescindere, & labefactare cupiũt. Quorum ego hominum, tametsi eruditioni fauere, pietatem amplecti, labores, pericula, & cõtentiones, quas pro veritate subiêrunt, plurimi æstimare debeam: solis tamen dei mei iussis hunc honorem deferre didici: vt ea exceptione potiora, & maiora omni reprehensione semper statuam. Nam cùm in rebus humanis, nihil sit, vel sanctitate integrum, vel perfectione absolutum: cùm in summa puritate, ac innocentia cernantur quandóque impuritatis labes: & cùm in hominibus sanctissimis, atque doctissimis nonnullæ infirmitatis notæ deprehendantur: cui tandem mortalium tutò assentiar? & in quo tam firma, atque solida nobis semper occurrunt, vt iustè à nullo in dubium vocentur? Ac mea quidem sententia haud paucos à veritate abducit, nimia eorum, qui eruditi habentur, authoritas. Permulti namque, dum magnorum hominum iudicio repugnare indecorum statuunt, falsa cum veris inconsideratè nonnunquàm probant. Neque enim Iudicium suum adhibere audent: id habent ratum, quod ab eo, quem magni faciunt, Iudicatum vident. Et sic, dum contumaciæ vituperationem fugiunt: incidunt in vitium haud multò leuius, tarditatis: & cum peruestigandi labore rerum præstantissimam veritatem amittunt.

Rectè fuit in dictum quadragesima ieiunium.

Quòd

Recte fuit indictum quadrageſima ieiunium.

Quòd ſi opertis oculis, in aliorum ſententias ſemper duci, iuſtum, ac neceſſarium omnes exiſtimâſſent: ad tantā non perueniſſent perfectionem optimæ artes: neceſſaria deeſſent adiumenta communi vitæ: & multis, iiſq; admodum præclaris ornamentis, virtutum omnium mater, & procreatrix theologia careret. Sed quid mihi in hac cauſa ſit agendum, illi ipſi, qui quadrageſimam oppugnāt, certiſsimè videntur oſtendere. Cùm enim magnā iudicij libertatem in legendis veterum ſcriptis ſibi aſſumant: conſimilem nobis, ad expendenda ea, quæ ipſi ſcribunt, liberè (vt opinor) largientur. Vellem ergo optimi filij ita me in hac diſceptatione audiatis: vt ſecluſa hominum authoritate, quæ aut nihil omninò, aut ad cōfirmandam veritatem, non ad obtinendū mendacium valere debet: res cum rebus, cauſas cum cauſis, argumenta cum argumentis, rationes cum rationibus conferatis. Quod ſi aſperiùs, hic nonnulla dici videbuntur: ea non in alios, quàm in ipſos reformatores, qui relictis hominū virtutibus ſola vitia imitantur dicta eſſe, exiſtimari vellem. Non enim hac querimonia, omnes qui malè aliquando ſenſerūt, ſed qui malas aliorum opiniones pertinaciùs defendunt: nō omnes piorum prolapſiones, ſed qui prolapſiones pro virtutibus, errores pro veritate, nobis colendos proponunt: non qui fabricati ſunt tela, ſed qui tela ab alijs apparata in latus meum intorquent: non ipſos hortulos, in quibus noxiæ interdum herbæ naſcuntur, ſed qui eas ad hominum perniciem conferunt: non denique illos, qui ſi admoniti fuiſſent meliora fortaſsis approbâſſent, ſed hos, qui nullo conſilio, à ſententia ſemel ſuſcepta dimoueri poſſunt, liberiùs mihi perſtringendos puto.

Non ideò (inquiunt) ieiunauit Chriſtus vt alijs exēplum præſcriberet. Imo vero, eā ob cauſam Chriſtum ieiunâſſe, vt nobis exēplo eſſet eius ieiunium, ſingulari cōſenſione, omnes fere patres affirmant. Hic ſi patrū authoritatē ſine ratione nō valere permittēt: liberè patiar, & concedā, dūmodò recētioribus, quàm antiquis: reformatoribus, quàm patri-

patribus sanctißimis, haud maior honos deferatur. Christus (inquiunt) ieiunauit, vt maiorem doctrinæ suæ authoritatem conciliaret. Esto. Sit ea præcipua, cur ieiunauit, causa. Annon multæ tamen eiusdem rei rationes reperiri possunt? Annon plures interdùm causæ simùl concurrunt, quibus ad aliquid agendum homines impellantur? Verùm cum reformatoribus non rigidè, non inclementèr agam. Admittam eorum rationes, quæ in ipsis depellantur portis: sinam eos progredi, quò volunt, cùm facillimè obruantur in primo cursu: concedam, quæ tantoperè concedi postulant: ieiunauit Christus, vt doctrinam suam de cœlo dimissam esse declararet. Quid ergo ex eo efficient? aut quanam ratione obligari superstitione illorum mentes ostendent, qui hoc Christi ieiunium, ad perdomandam carnem imitari cupiunt? An quia totos quadraginta dies ab omni cibo abstinere non possumus? Sed pijs conatibus benignè Christus fauet: rebus nonnullis, quæ non sunt omni ex parte absolutæ, clementèr ignoscit: hominum imbecillitati, si propensa fuerint eorum studia, piè succurrit: & quæ plenè, ac perfectè præstare non possumus, sine culpa (vt existimo) licebit imitari. Quinque hominũ millia, quinque panibus Christus saturauit: vt necessaria pijs nunquàm defutura subsidia certò declararet. Ex eo tamen quod fecit Christus, ad munus suum interesse diuinæ voluntatis interpretes, & internuncij haud absurdè colligant, vt non hominum solùm animos, cœlesti verbo, sed corpora etiam externis alimonijs reficiant. Quòd si hoc Christi factum, nihil omninò ad se pertinere ministelli nostri dicent, quòd non tantæ sunt virtutis, vt miracula faciant: ridicula profectò eorum stultitia, & supplicio digna improbitas videbitur. Nec minùs ridiculi, & magìs improbi erunt nostri reformatores, si quòd totos quadraginta dies ieiunare non possunt, repudient penitùs Christi ieiunium. Magnam hominum multitudinem quinque panibus saturare non possumus:

Rectè fuit indictum quadragesima ieiunium.

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

mus: ratio tamen postulat, vt pauperum egestati omnibus modis consulamus. Sic quadraginta dies â cibis abstinere, humanam longè naturam excedit: sed humanæ non est interdictum naturæ, de vsitato victu aliquantulùm detrahere: & minùs opiparè, atque apparatè interdum epulari: vt accensæ libidinum faces inedia, quasi subtractis alimentis flammæ faciliùs restinguantur.

Christus (inquiunt) sæpiùs non ieiunabat, quod factum oportuit, si anniuersarij ieiunij legẽ, nobis tradere voluisset. Itáne vero? sæpiùs à nobis eucharistia celebrari non potest: quòd semel eam Christus cum apostolis celebrauit? Simios deindè omnes eos appellant: audite mei filij, (quæso) audite, & tam calamitosa mecum tempora deplorate: simios omnes eos appellant, qui hoc Christi ieiunium imitari student. Proh sancte deus, quô tandem hæ res procedent? & quænam in orbem irruptura statuamus malorum portenta, cùm in eum iam statum res nostræ deuenerint, vt Christum imitari sit hominibus Christianis probro, & dedecori? Violata fuit olim syncera fides: charitas iam pridẽ inter Christianos refrixit: eiecta est è rebus humanis innocentia: nihil vspiàm puri, nihil incorrupti manet: fusa est vbiq; impietas: occupauit omnium animos numinis ignorãtia: nulla est terrarum pars, quam non miserè oppresit potestas Orci: ergo ne ad cætera mala, hic tanquam cumulus accedet: vt nemo sine infamia pius, sine laude flagitiosus esse posit? Irrideant me, si velint, Puritani omnes: te, te Christe Iesu perpetuò sequar: si probris me omnibus, & maledictis diuexent, pro pietate haud illibentèr feram contumelias: si quod maximè cupio, præstare nõ possum, opem â te seruator vnice, & auxilium petam: si labi interdùm in hac via mihi contingat, tuam implorabo misericordiam: si ineptam me dicant: si superstitiosam vocent: si appellent simiam: haud quicquam commouebor: dummodò vitæ, & saluti meæ Iesu semper adhærescam. Imitatores seruum esse pecus,

nescio

nescio quis poetarum dicit? verum mallem me Christi ancillam, quàm rerum humanarum dominam appellari. Permagnam quidẽ ignominiam seruitus interdum affert: sed ijs (opinor) qui sceleri seruiunt, nõ virtuti: ex aliorum præscriptis viuere, durum multis, & acerbum videtur: etiámne inquã cum ex præscriptis viuitur rectæ rationis? Liberam me, & esse, & haberi cupio: sed liberam à nequitia: solutam me esse vellem à cupiditate: non dissolutam tamen viuendi licentia. Legum humanarum vinculis illigari nollem: si vel sint improbæ, & sceleratæ, & cœlesti legi contraria præcipiant: vel duræ, & iniquæ, & inijciant laqueum conscientijs: vel peruersæ, ac turbulentæ, & labefactent ordinem: vel inuenustæ, & sordidæ, & imminuãt decus: vel leues deniq;, & inanes, & ad vitam sanctè, atq; religiosè agendam nihil omninò conducant. *Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.*

Iam quòd hoc quadragesimæ ieiunio, clarissimũ Christi miraculũ obscurari dicunt: est tam perspicuè falsum, vt id vel profectum fuisse vnquam à doctis, vel probari iam ab his, qui vel ratione ducuntur, vel communi sensu, mirabile inprimis mihi pũtetur. Quid enim? obscurant Christi miracula, qui tantarum rerum memoriam quotannis celebrant? an qui has anniuersarias celebrationes cum superstitione coniunctas putant? oppugnant Christi honorẽ, qui, vt eum rectiùs imitentur, dies aliquot ieiunijs, ac precibus consecrant? an illi potiùs, qui de Christi ieiunio vix vnquam cogitant, & nihil ad se id pertinere volunt? At verò Christi gloriam, vel transferri ad alios, vel cum alijs cõmunicari dicunt: cùm quæ diuina virtute Christus præstitit, humanis viribus præstari posse cõmunis vbiq; sit opinio. Sed quis vnquam ex omni hominum memoria tam sordidè, & abiectè de Christi ieiunio sensit? Quis nõ eximium in eo miraculum semper agnouit? Quis miracula fide prope maiora, humana imbecillitate fieri posse iudicauit? Quis vnquã pius arrogauit sibi ipsi Christi virtutẽ? Quis eisdem de causis, ob quas Christus ieiunauit, sibi etiam necessariò ieiunandum esse dixit? Quis

Rectè fuit indictum quadragesimæ ieiunium.

Christi more quadraginta dies ab omni esca, & potione abstinere sibi assumpsit? cui demùm, suscepto hoc ieiunio, non fuit propositum, de vsitata victus ratione aliquantulùm detrahere, vt appetitus rationi, ratio menti, mens deo rectiùs obtemperaret? At hoc ieiunio euangelij dignitatem violari affirmãt. Velim inprimis nobis proponãt, de quo euangelio verba faciãt. Nam si familiaris cuiuspiam genij instinctu, & afflatu, nouum aliquod euangelium acceperint, quod nec orbi annunciãrũt sanctissimi apostoli: nec antiqui patres vnquam peruiderũt: ab impuri Erebi, & profundæ noctis sobole ieiunium cõdemnari: nec multũ admirabor, nec molestè feram. Quod si de sacrosancto Christi Iesu euangelio loquantur: mihi certe fieri posse non videtur: vt eorum, quæ Christus fecit, religiosa obseruatio, sanctissimum Christi oppugnet euangelium.

Pergunt etiam adhuc reformatores nostri, & Elyam, ac Mosem quadraginta dies ieiunâsse dicunt. Nam cùm legẽ suam dominus ab altero promulgari voluisset, & ab altero instaurari: vtriusq; authoritatem, tam insigni miraculo confirmauit. Iam vero, cũ nec Elyam, nec Mosem sanctissimi vates olim imitati fuerint: quid Christum Christiani, ineptè, & peruersè imitantur? Hæc ratio illis, quæ anteà refutata sunt, imbecillitate similis, at superior scelere haberi potest. Tempora enim nostra cum priscis Iudæorum temporibus, temerè confundit: exempla viuẽdi, ab antiquis potiùs vatibus desumit, quàm à Christo Iesu: non quæ factitârunt olim sanctissimi homines, sed quæ infecta reliquerũt: non quæ scripta sunt, sed quæ nusquam scripta reperiũtur trahit in regulã: & quod sceleratissimũ est, Christo Mosem, Christo Heliam authoritate adæquat. Vnum restat argumentum, quod sæpenumerò obijciunt. Non vno (inquiunt) modo quadragesima à veteribus celebrata fuerat. Alij enim plures ieiunabãt dies, alij pauciores: fuêre nonnulli, qui pane tantùm, & aqua vesci solebant: sed multi omnibus ferè cibis, magna cum

libertate

libertate vtebantur. Ex his concludunt quadrageſimæ ieiunium non fuiſſe inſtitutum ab Apoſtolis: ſed profeſtum potiùs à praua, & peruerſa Chriſti imitatione: & nihil planè eſſe aliud, quàm ἐθελοθρησκείαν. Vel vt Phalerij verbo vtar ξηροφαγοζηλίαν. Sed ſi rationem illis non ademiſſet contentionum cupiditas: haud antiquandum cenſuiſſent hoc ieiunium, quod varijs olim modis celebratum fuerat: ſed habuiſſent potiùs in honore quòd in tanta rituum varietate, & diſcrepantia, ſumma religione obſeruabatur. Quamuis enim non vno modo quadrageſimam veteres Chriſtiani celebrârunt: vno tamen ſemper conſenſu celebrari oportere docuerunt: plures alij dies, alij verò pauciores ieiunârunt: at nullus vnquam pius abrogandum penitùs eſſe hoc ieiunium affirmauit. Sed ſi ab apoſtolis inſtituta fuit quadrageſima, quîd non vna vbiq; ratione celebratur? ſed ſi ab apoſtolicis non fuit inſtituta viris, quîd vt oppugnata ſemper ab hæreticis, ita ſẽper à pijs defẽſa: quîd vt in ſchiſmaticorũ clauſtris irriſa, ita in Chriſti eccleſia in hanc vſq; diem approbata fuit?

Rectè fuit indictum quadrageſimæ ieiunium.

Ex his liquere arbitror, quadrageſimæ ieiunium, ſine ſuperſtitione obſeruari poſſe. Cùm enim piæ precationes, ſi adiũctæ præſertim fuerint lachrymæ, & ieiunia, deo ſemper placeãt, ſed tum maximè, cùm à tota ſimul eccleſia offeruntur: cùm à tota ſimul eccleſia offerri non poſſint, ſi non ſtata, ac ſolennia tam ſacris exercitationibus conſecrentur tempora: & cùm nulla his rebus tempora rectiùs cõſecrari poſſint, quàm ea, quibus Chriſti mors ab omnibus pijs publicè recolitur, & celebratur: ſatis iam tandem manifeſtò apparet, cum Catholica eccleſia, cum canitie antiquitatis, cum optimorum patrum illibato flore, & robore, & cum ipſa etiam pietate eos confligere: qui ieiunium quadrageſimæ, à peruerſo quodam imitationis ſtudio profectum: auctum caligine, & cæco humanarum mentium errore: & ſuperſtitione pluſquàm anili in hunc vſque diem continuatum fuiſſe dicunt.

In quo potissimum consistit recta ieiunandi ratio.

Longiùs in hac causa, quàm suscepti negotij ratio postulabat, me immoratam esse video. Apud æquioris tamē ingenij homines, id facilè (vt spero) me excusabit: quòd ex quo proposita fuit orbi hæc ieiunandi libertas, plerósq; homines ad abstinentiam, ad frugalitatem, ad sobriam, & temperatam viuendi moderationem, & modum tardiores accessisse constat. Cui malo haud rectiùs occurri potest: quàm siquà veteres olim synodi de ieiunijs statuerunt, à vobis mei filij hoc tempore approbentur. Nam si perditum horum temporum luxum, cum priscorum hominum continentia: hanc dissolutam viuendi licentiam, cum summa illorum grauitate: hanc nequitiæ fœditatem, cum eximia illorum virtute, diligenter comparare velitis: haud multum requirenda esse veteris disciplinæ laxamenta: sed arctioribus potiùs laqueis diffluentes luxuria hominum animos deuinciri oportere, facilè intelligatis.

Quamuis autem tantum in ieiunio ponderis ad frangendas improbitatis vires contineri statuam: haud omnes tamen, qui ieiunant, promiscuè possum laudare. Abstinere enim videmus ægros: quòd nec saporem ciborum, nec odorem ferre possunt: inediam patiuntur inopes, qui si abundantiori circumfluerēt rerum copia, multò delicatiùs, & suauiùs viuerent: parciori vtuntur victu sordidi, & auari, ne congestas opes profundant: à cibo, & potu interdùm sese temperant homines luxu perditi, vt maiori posteà cum voluptate delicijs auidiùs conquisitis fruantur: sæpè, & multùm ieiunant hypocritæ, vt laudem temperantiæ adipisci possint. Sed horum ieiunia nequitiæ vires, ita imminuere solent: vt libidinem imminuunt impudici sermones: vt iniustas direptiones coercet inexplebilis diuitiarum sitis: vt superbiam reprimit cæca φιλαυτία: vt quæ à malo proficiscuntur, & ad malum tendunt, impuris animos nostros liberant scelerum sordibus. Repetendum igitur est illud, quod

aliquot

aliquot locis in hac disputatione antea significaui: ieiunium in earum esse rerum genere, quæ ἀδιάφορα, siue indifferentia passim appellantur. Si enim ex se spectetur, & non vt cum alijs coniunctum reperitur: nec meliores reddit vllos, nec vllos facit reos sceleris. Verum ex finis, quo potissimùm refertur, natura, vel laudem acquirit, vel contrahit dedecus. Quarè si ieiunia vestra, mei filij, eô referatis: vt impuras animorum perdometis cupiditates: vt ad precandum rectiùs comparari possitis: & vt magis demissi, atque humiles sint vestri affectus: dissoluentur vobis improbitatis nexus: & robustiùs confirmabuntur nerui virtutum. Quòd si alios vobis proponatis fines: placeatis facilè vobismetipsis: & hominibus etiam, qui internas cogitationes speculari non possunt, facilè placeatis. Sed animorum tamen inspectorem, & iudicem deum, quo quidque consilio gestum fuerat, haud vnquàm fugiet. Perspicax nàmque illud iustitiæ lumen, quod omnibus intentum, per vniuersam rerum naturam commeat: quod non solúm quæ sunt acta, sed agenda præuidet: quod vt cogitata, ita cogitanda intelligit: cui peruia sunt maximè solida, & aperta, quæ sunt maximè inclusa: cui obscura lucent: muta respondent: silentium confitetur: & mens sine voce loquitur: excutiet illa diligentèr, quæ in obscuritatis latebris occultantur: & grauissima suppliciorum acerbitate eos omnes cruciabit, qui vel rerum bonarum ornamenta, in res improbas transferunt: vel virtutis simulatione, sceleri fidem, & decus conciliare student. Haud iustè illi putentur pij, qui à carnibus abstinent, & vicinorum famam malitiosè corrodunt: gratam deo obedientiam non præstant, qui vinum non bibunt, & ebrij sunt furore: cœlestē iram non effugient, qui â multis sese temperant ciborũ generibus, & viduarũ, atque pupillorum opes deuorant: & qui concessa repudiant, & appetunt inderdicta: ob eam causam sceleratiores existimari possũt: quòd dũ assimulata virtutis specie nõnullam

In quo potissimum consistit recta ieiunandi ratio.

In quo potissimum consistit recta ieiunandi ratio.

lam sibi authoritatem conciliant: in omni genere improbitatis exultant liberiùs.

Quarè si vestrum charissimi filij Ieiunium, deo optimo, maximo, probare cupiatis: non tam â cibis, quàm ab impuris cogitationibus abstinere: nec tam corpori, quàm nequitiæ alimentum detrahere debetis. Si omnes delicias repellatis: continentiam vestram maximè probabo: sed hoc a vobis animaduerti vellem: quòd profanus ille Esau, dùm pro edulio ex lentibus confecto, ætatis prærogatiuam vendidit: haud delicatum appetijt genus ciborum. Si â carnibus frequentèr abstineatis, laudabo vos plurimùm: sed eam tamen ob causam vos nimium animis efferri nollē. Nam si hæc abstinentia, haud incertū esset argumentū veræ sanctitatis: sāctissimæ profectò essēt multæ beluæ, quæ carnibus haud vnquàm vescuntur. Si vinum non bibitis, ea in re mei filij, vos improbare non possum: sed maiora tamen, & præstantiora in vobis desiderare cogor. Nam cùm abstinetis â vino, nihil facitis, quod non commune vobis cum animantibus ratione destitutis haberi posit. Muli namque, & equi, quibus nullus est intellectus, vinum non bibunt. Non igitur in ciborum discrimine, & delectu habendo, sed in moderatione animi: non in viliori eorum apparatu, quæ corpori sunt necessaria, sed in parca, in sobria, in restricta, in casta, & maximè temperata viuendi ratione, legitimi ieiunij decus versatur.

Sed quoniàm ea est hominum miseria, vt cùm imbecillitatem suam sustentant, & reficiunt, infestissimis hostibus vires suppeditent: sapientèr faciunt, qui, vt domitas habeant libidines: & vt cupiditates comprimant, atque coerceant, sæpè, & multùm ieiunare solent. Delicijs namque libidines, vt infuso oleo flammas, haud rarò ali, & augeri videamus: sed ieiunijs, vt cùm coniectæ sunt in aquam ardentes faces, facilè restinguantur. Quemadmodum igitur opem â vicinis, ad restinguenda domus

suæ

suæ incendia, imprudenter petit: qui in miserabili rerum suarum deflagratione, vel otiosè quiescit: vel admota propiùs materia flammam vehementiùs adauget: ita preces suas, à præpotenti numine exauditas fore, temerè, & frustrà confidit: qui cupiditatibus illis alimenta præbet: quarum impotentissimo dominatu liberari desiderat. Animalia maximè efferata, fame, & verberibus mansueta paulatim fieri dicunt. Quîd non igitur hoc modo sceleratos tractamus animorum affectus: qui semper nos, vel insidijs aggrediuntur: vel aperte in perniciem trahunt: nec vlla ratione, nisi sola inedia superari possunt?

Hortatur liberos ecclesia ad verum ieiunium.

Hoc modo veteres illi, quorum virtutes tantoperè admiramur, viam sibi in cœlum muniêrunt. Sed nos, quæ nostra est stultitia, etiàmsi ad eandem cum illis fœlicitatem peruenire cupiamus: vias tamen, eorum vestigijs maximè tritas relinquimus: & nouas, atque inusitatas indagamus. Verùm non mutatur iudicio cœleste numen: nec faciliores nobis, quàm veteribus in cœlum concessit adscensus. Cœlestem petitis Hierusalem filij suauissimi: ô quàm fœlix, & beatus erit vester status: si tandem aliquando eò peruenire possitis. Sed via est deserta, & maximè inculta, atque interclusa frondibus, & virgultis, & varijs etiam obsita difficultatibus, & circumsepta periculis, & quotidianis hostiũ incursionibus semper infesta: in qua sine casu, ac prolapsione progredi, vix quispiam potest. Caro est vehiculum, quo vos perferri oportet, indomitis equis ferociores, in transuersum vos abripient impuri affectus: quos cùm alia ratione coercere non potestis: fame, & vinculis (quæso) perdomate. Aspera hæc vobis, & acerba videri non dubito: nimiùm tamen vos animis demitti, & contrahi nollem. Nam has rerum asperitates, mitigabunt eximij fructus, qui ex ieiunijs piè susceptis, facile possunt percipi. Nemo est, qui non vri se, ac secari patietur: vt incorrupta sanitate frui possit. Omnes

nes

Hortatur liberos eccle. ad verum ieiunium.

nes fere, ad exiguum temporis ſpaciũ labores libenter ſubeunt, vt diuturnam poſteà quietem obtineant. Quid nos ergò, filij optimi, fugacia bona non reſpuimus, vt æternã fœlicitatẽ adipiſcamur? Magna, & præclara ſine magno labore vix vnquã præſtantur: ſine ægritudine, læta, ac Iucunda comparari non poſſunt: & nulla remedia tam ſalutaria ſunt, quàm quæ maxime faciunt dolorẽ. Si ergo qui ieiunant, ita debilitant corpus, vt reficiant mentẽ: ſi cupiditates reprimunt, & alunt virtutes: ſi inanem fragilium bonorum ſpeciem contemnunt, vt æterna gaudia adipiſci poſsint: quis tandem eſt, qui non ieiunitatem luxu, & inediam vita delicijs referta, potiorem Iudicabit?

Sed ſurdis canimus: quis enim querelis noſtris habebit fidem? Nam illecebras turpitudinis voluptates, tam cupidè omnes conſectantur: vt verear interdùm, ne communis peccandi conſuetudo, peccatis non ſolum impunitatem, & licentiam, ſed etiàm authoritatem afferat: & ne infamia, non ſceleris, ſed virtutis præmium habeatur. Sed pereant illi, qui ſeruari nolunt: at vos mei filij, qui conſtantes hucùſque permanſiſtis: numeroſa pereuntiũ multitudine, tanquam ingenti fluctu, in perniciem nollẽ abripi. Virtus mihi veſtra, magna, & præclara pollicetur: & certiſsimè mihi perſuadeo, quòd qui incenſum pietatis ſtudiũ in animis veſtris excitauit: perpetuã etiam perſeuerandi cõſtantiã vobis largietur. Verùm cùm imbecillitatẽ veſtram: hoſtium multitudinẽ, & ferociam: rei quam expectatis præſtantiam: & ſummam eò perueniendi difficultatẽ diligentiùs mecum animaduerto, mœſtè interdùm, & ſolicitè timere cogor. Quem tamen timorem non diffidentiæ, ſed amoris potiùs magnitudini, aſsignari vellem. Amor me ſolicitam, amor me timidam facit: nec animo vnquam ſecuro eſſe poſſum, niſi vos in tuto collocatos videam. Quod cum vix vllo modo præſtari poſsit: niſi libidines perdometis: & affectiones omnes, quæ rationi ſũt oppoſitæ, ſtrenuè reprimatis: vt omni ſtudio in hanc curam

ram

ram incumbatis, â vobis mei filij vehementèr peto. Ieiunio perfringitur vitiorum poteſtas: ieiunio confirmantur nerui virtutum: & improbitatis nexus, ſi reſcindere cupiatis: ieiunium, vt religionis ancillam, ſed non vt dominam: vt neceſſarium pietati ſubſidium, non vt rem natura piam (quæſo mei filij) adhibete. Omni quidẽ tempore, ad ieiunandum meos liberos adhortata ſum: ac tardiorum cauſâ, & abſtinentiæ tempora deſignaui: & certas præſcripſi ieiuniorum leges. Quibus legibus, ne grauitèr offendantur infirmiorum animi: ne exemplo veſtro imperiti, in diſſolutam trahantur viuendi licentiam: ne matris veſtræ authoritas impunè â quouis violetur: & maximè quòd officij veſtri ratio id poſtulat, religioſiſsimè debetis parêre. Hæc vobis mei filij mater veſtra eccleſia, de ieiunijs dicenda habuit. Haud contemnetis, vt ſpero, doctrinam matris. Nam ea, & capitibus veſtris gratiam, & torques etiam collis præſtabit. *Hortatur liberos ecclesia ad verum ieiunium.*

SEd vt leges eccleſiaſticas, ita legum cuſtodes, & vindices Archiepiſcopos, patriarchas, metropolitanos, & eminentiorem etiam omnem dignitatis ſpeciem, effrænata quadam malitia impulſi, ex eccleſia dimouere cupiunt. Excuſſo enim legum iugo, haud quicquam liberiores ſe futuros exiſtimant: quamdiu hominum eorum, quos tanquam leges loquentes in honore veteres ſemper habuerunt: inuiolata manet in eccleſia authoritas. Quam authoritatem, vt conuellant: varia primò congerunt ſcripturarum teſtimonia quæ vel ſuperbam, & tumidam condemnant gubernandi rationem: vel regium principatum, cœleſtis verbi miniſtris minùs aptè conuenire docent. Tum eorum vitam, ac mores, quibus ſacra hæc in eccleſia cõmiſſa eſt poteſtas, aſperè, & acerbè reprehendunt. Verum hæc minimo labore diſpellãtur: ſi violẽtas, & iniuſtas dominationes ſacris literis condẽnari, nõ legitimum, & moderatũ improbari præſidẽdi morem; *Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.*

 rem;

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

rem: siq; regiam authoritatem, cum ministri officio haud optimè coniungi: sed patriam illis potestatem, qui communes sunt alijs, non tam corporum, quam animorum parentes, attribui dicamus. Quòd autem concreditam sibi potestatem nonnulli, ad suum potiùs, quàm ecclesiæ bonum referunt: id nihil detrahit de horum munerum sanctitate. Nam vt qui grauiùs delinquunt, quòd optimis funguntur muneribus, sine maximo scelere excusari non possunt: sic sacrosancta munera, & officia, quòd improbis sunt commissa hominibus, nullo modo cōdemnari licet.

Non aliter, inquiunt reformatores, cœlestis verbi ministri præsidebunt ijs, quos ad pietatem instituunt, & informant: quàm vel filijs parentes boni, vel præceptores discipulis præsidere solent: non eam tamen ob causam fratribus suis: non hominibus, qui sacris sunt addicti, & deuoti: non ijs, qui idem docendi munus obeunt, authoritate superiores iure statuantur. Omnibus namque diuinæ voluntatis interpretibus, & internuncijs, ius par, æqualem authoritatem, & eandem in tractandis ecclesiæ negotijs potestatem sacrosanctæ scripturæ attribuunt.

Quam sententiam auribus nostris, â reformatrice hac familia, tam frequentèr, & importunè inculcari haud multùm miror. Huic enim hominum generi nihil familiarius video, quàm absurdas opiniones pertinaciùs tueri. Illud verò incredibilem mihi dolorem affert: quòd vir summæ eruditionis Beza, eandem sententiam audactèr defendit. In libro enim eo, quem nuperrimè aduersus Sarauiam scripsit: pastores ouibus, non alijs pastoribus, diuino iure præsidere dicit. Et pastores (inquit) in commissos fidei suæ greges: non in eiusdem muneris, atque ordinis pastores, authoritatem habent. Quid agam filij? Nam ab hominis de christiana pietate præclarè meriti iudicio dissentire, improbum fortasse, & indecorum videbitur: & tamen, vt errores vbicunque demùm reperti

fuerint

fuerint liberè condemnem, obstringit me ratio, & religio officij. Quod dum facio, ne quispiam me vel virtuti hominis præstantissimi inuidere, aut dignitati obtrectare criminetur, sanctè imprimis hoc profiteri licet: quòd Bezæ meo tantum tribuo, quantum homini summi ingenij, præclaræ eruditionis, & singularis pietatis tribui debet. Ac diuino etiam consilio, præstantissime Beza, te excitatum arbitror, vt varijs errorum portentis Christi ecclesiam studio tuo, labore, ac vigilijs liberares. Et profectò, si impuras tantum hæreses oppugnares: ac non permulta simul tollères rerum bonarum ornamēta, non anteponendus solùm his, qui iam viuunt: sed priscis illis heroibus, quorum virtutes tuentur adhúc, & illustrant rem Christianam, iure optimo comparandus viderêre. Sed nimirum in rebus humanis nihil omni ex parte perfectum existit: nihil, in quo non multæ infirmitatis notæ deprehendi possunt. In sanctissimis animis reperiuntur quandoq; labes impuritatis: & qui prudentia alijs multum præstant: labendo, & errando communi subiectos se esse naturæ humanæ conditioni, haud rarò demonstrant. Velut in hac controuersia sacrosanctam antiquitatis canitiem meus Beza, quid dicam? imperitè, homo omnium doctissimus? aut malitiosè, qui ad illud peruenit præstantiæ fastigium, vt vix habeat superiorē, cui inuidere possit? sed asperè certe, & acerbé interdū insectatur: in præclara veterum scripta, & sanctissima synodorum decreta, iniquas nonnunquam censuras exercet: & affectionem suam, licet in permultis rationi aduersantem totius ecclesiæ normam statuit. Vtinam verò ad eum modum Geneuensis ecclesiæ disciplinam defenderet, vt non alias ecclesias condemnaret sceleris. Ita enim eius iudicium, quem maximi facio: & cui vtilitatem meam summæ esse curæ confido, haud fuissem coacta palàm improbare. Quamuis enim in ea Geneuensis administrationis forma nonnulla occurrant, quæ emendationem exposcere,

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

 poscere,

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

poscere, & flagitare mihi videntur, instituta tamen, licet non optima cum patientia tolerare, quàm dum meliora perquiruntur, in extremum discrimen omnia conijcere mallem. Sed cùm disciplinam non ita prudenter approbatam à Geneuensibus, in qua (vt leuissimè dicam) desyderari possunt nonnulla, tanquam palladium de cœlo delapsam fingat: & episcopalem potestatem, in cuius ordinis incolumitate, incolumitas mea continetur: non solùm ab ambitione profectam, sed christianæ Reipub. maximè calamitosam affirmet: pluris certè hac in re veritatem, & rectam rationem, quàm Bezæ mei authoritatem æstimare conuenit. Verum in hac disceptatione ita moderabor ipsa mihi, vt & quid rectè possim eloqui, & quid Beza meritò audire debeat, expendisse videar. Haud ille semper recordatur se esse ecclesiæ filium: at ego optimè recordabor me esse eius matrem: nec vnquam ab eo in hac causa dissentiam: nisi cùm eum ab antiquitate, à patrum flore, à decretis synodorum, ab ipsis etiam scripturis perspexero dissentire. Æqualem omnibus pastoribus authoritatem cœlesti lege attribui Beza dicit. Mea autem est sententia, quòd vt inter Patresfamilias, etiamsi alij alijs, opibus, & dignitate præstent: vt patrès tamen sunt, æqualem omnes potestatem obtinent: nec minus homines egentissimos, quàm qui in summa sunt positi dignitate vitæ, & omni bonorum copia circumfluunt, ab his, quos susceperunt, coli oportet: ita omnes christianæ fidei prædicatores, vt docendo, & sacramenta administrando, liberos ecclesiæ gignunt: æquali sunt prorsus authoritate præditi: nec minus legitimè in his rebus, infimi qui habentur ministri, quàm celeberrimi patriarchæ versari possunt. Sed vt qui in familijs suis sunt tanquam summi magistratus: in communi hominum societate alijs necessariò parent: ita quibus summa concreditur docendi potestas, in regenda ec-

clesia, si modo pij sint, alios superiores agnoscent. Quonam enim modo prudenter gubernetur hæc Christi familia: si is sit ministrorum status, vt alij alijs, nec sine maximo scelere præcipere, nec sine turpitudine obtemperare possint. *Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.*

His de causis, dispares honoris, & authoritatis gradus, inter eos, qui sacris sunt deuoti, semper approbaui. Quod vt facerem, sacrosancta inprimis scriptura, tum lumen rectæ rationis, deinde etiam ipsa natura me permouit. Velim quidem puritani varietatem eorum, quæ sunt in mundo comprehensa, diligenter contemplentur: & vniuersam mecum perlustrent rerum naturam. Ita enim omnia Dei opera, formis diuersa, distincta facultatibus, & dignitate inter se esse imparia, atque etiam potestate, facilè reperiant. Atque vero quæ dignitate alijs præstant, præstantiorem plerunque assequuntur sedem: & quæ inferioris habentur ordinis, à superioribus perẽni naturæ instituto reguntur. Iam verò, si præpotens maiestas, hanc rerum molem venustè disposuit, & prudenter hucusque moderatus est: si ex perpetua mundi gubernatione rectissima gubernandi forma desumi posit: si in omni hominum societate is minime errabit: qui cœlestem dispositionem semper intuetur, & quantum potest, imitari studet: si in rerum imparium suauissima coniunctione, orbis non modò venustatem, sed salutem contineri, ipsa natura, voce in omnium auribus maximè sonanti clamet: tum munera minùs æqualia in ecclesiam sine culpa admitti, non tam docti ab hominibus, quam admirabili cœlestis architecti sapientia permoti, liberè statuamus.

Quod si ab his hominibus impetrare nõ possũ: vt vel venustã mundi fabricã intueantur: vel perpetuã, & constantem audiant naturæ vocẽ: at illud saltẽ velim aduertant: ꝙ non eadẽ semper mensura, hominibus dona cœlestis maiestas largitur. Pluribus enim alij ornantur donis: & alij

pauci-

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

paucioribus: nonnullis præstantiora, non paucis minùs eximia cōceduntur. In qua rerum distributione societatis, beneuolentiæ, & sanctißimæ charitatis initia, & velut semina continentur. Nam si æqualia omnibus concessa essent: haud vlli quidem ab alijs opem expeterent: sed quisque præstantiæ suæ opinione inflatus contemneret alios: quæ res sacrosanctam piorum communionem dirimeret penitùs, & dißiparet. Sed cùm nec omnibus, omnia, nec diuersis æqualia Deus concesserit: libentiùs quidem alij cum alijs societatem ineunt, vt quod in singulis deficit, in vniuersis impleatur. Hinc inter Christianos omnium rerum communio: Hinc certißima coniunctio animorum: Hinc virtutum regina, charitas oritur. Cùm ergo varia disparium donorum genera cœlestis prudentia hominibus concedat: non est quod illis, qui maioribus sunt instructi donis, ampliores honores deferre metuamus. Peccant enim grauiter, qui vel imparibus æqualia, vel æqualibus imparia tribuunt. Atque vt qui præstantioribus sunt ornati virtutibus, ad infimorum sortem demitti non possunt, ita eos qui eruditione minùs valent, hominibus præstantißimis authoritate adæquari, ordinis venustas, & elegantia prohibet.

Quod si è virtutum, & meritorum præstantia, hominum authoritatem pendêre iniquum putent: ab illis hoc petam vnum, vt constitutam inter Iudæos ecclesiasticæ administrationis formam diligenter aduertant. In illa etenim, nisi leues erunt in omnibus, in quibus maximam cōstantiam adhiberi oportet: verißimum optimæ disciplinæ exemplar contineri, necessariò fatebuntur. Inter Iudæos autem, vt Leuitis sacerdotes authoritate præstabant: Ita inter ipsos sacerdotes constituti erant permulti dignitatis gradus. In varias enim classes ita dispositi, & distributi fuerant: vt alij alijs honore præcellerent. Quin etiam classibus illis, præsidebant quidam sacerdotes, quos principes sacerdotum in sacris literis frequenter appellari

pellari videmus. Quæ à nobis hîc dicuntur, haud placent Bezæ. Allatam enim à Sarauia hanc ipsam rationem ad hunc modum conatur rescindere. Non fuit æquale sacerdotum (inquit) neque Leuitarum inter se ministerium. Fuerunt enim eminentiores summi sacerdotis partes: sed Leuitarum alij primùm quidem in tabernaculo, ac demùm in templo cultui diuino seruiebant sub sacerdotibus, ijque in suos diuersos ordines distributi: alij verò per varias regiones dispersi, partim sacra in synagogis, partim ciuilia in portis cum senioribus populi tractabant. Vellem te planiùs loquutum Beza: sic enim animi tui sensum faciliùs possem assequi. Nunc vero, vel vehementer me fallit mea opinio, vel sententiam nostram defendis potiùs, quàm oppugnas. Nos enim sacerdotes alios honore, atque authoritate alijs præstitisse dicimus: tu inæquale fuisse ministerium sacerdotum profiteris. Inter Leuitas etiam dispares potestatis gradus fuisse constitutos docemus: tu idem videris affirmare. Si ergo ex ea, quæ diuinitùs Iudæis præscripta fuerat, gubernationis forma, optima ecclesiæ regendæ ratio desumi possit: haud video, quîd non dispar ministrorum authoritas, perpetuam in Christiana repub: sedē habeat.

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Neque enim adduci possum, vt plura, ac diuersa apud Iudæos fuisse sacerdotia, vel vt non tantùm gradu, sed genere disiunctos fuisse ipsos Leuitas, te existimare credam. Pœniteret enim me valdè, & erroris tui, & mei etiam de te Iudicij: si tam absurdas opiniones à te defendi viderem. Quîd enim (quæso) si sacerdotes in varias classes distributi fuerant: num hanc ob causam eorum aliquos minùs sacerdotes fuisse dices? Quîd si non eadem prorsus munera omnes Leuitæ obibant? fueruntne ergo vlli, qui Leuitæ esse desiêrunt? At summi sacerdotis partes fuisse eminentiores dicis: sed authoritatis gradus non mutare rerum naturas, optimè intelligis. Ciuilia etiam negotia tractabat summus Iudæorum sacerdos.

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Quid ex eo mirifice disputator concludes? Hoccine pontificem ab alijs sacerdotibus, vt gradu, ita genere, & non solùm dignitate, sed etiam ordine sacerdotali disiunctum fuisse ostendit?

Quod munus tibi in Geneuensi ecclesia maximè proprium, & peculiare dicam (condemna me si lubet imperitiæ, & incuriæ) certo mecum statuere non possum. Nam episcopi nomen, quòd non nudam inspectionem, sed regendi etiam authoritatem designat: homo omnium minimè ambitiosus repudias. Superintendens barbarum quiddam, & impolitum sonat, & delicatis tuis auribus haud vnquam placebit. Doctorem te appellarem, sed illis qui in docendo ita versantur, vt nec delectent bonos: nec in improborum animis dolorem excitent: nec vllam temporis, loci, aut hominum curam habeant, non tam apte primus in synedrio locus attribui: & virtus tua in secundo minùs rectè collocari potest. Conueniret tibi fortaßis haud ineptè pastoris nomen: sed quæ requiruntur à doctore, nonnunquã præstas. Sed quicunque tandem sis, aut quocunque nomine appellari velis, Geneuensis ecclesiæ ministrum haud (opinor) te negabis. Si ergo, vel vt paterfamilias rem familiarem tueare: vel vt ciuis ciuilia pertractes: vel, cum grauiora oriantur negotia, de his quæ ad reipub: vestræ salutem attinent, cum syndicis disceptes: hanccine ob causam ab alijs ministris, qui huiusmodi curis non implicantur, tota ministerij ratione, & natura, te disiunctum esse contendes? Verum summus ille pontifex in sancta sanctorum sacris vestibus indutus, semel in anno solus ingrediebatur, & pro toto populo preces fundebat. Adde etiam (si lubet) pontificem multo splendidiùs, quàm alios sacerdotes fuisse vestitum. Pontificialis enim ille ornatus, argumentorum tuorum nuditatem, & inopiam præclarè teget. Sed si hæc omnia tibi largiamur, vide tamen quàm parùm profeceris. Occurrent enim tibi statim inferioris

notæ

notæ ſacerdotes, qui in diſpari dignitatis gradu ſe collocatos fuiſſe, & pari tamen modo fuiſſe ſacerdotes, ab inuito expriment, & extorquebunt.

Eam, quam reformatores requirunt miniſtrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Iam Leuitis hoc potiſsimùm muneris commiſſum fuiſſe video, vt arcam, velum, menſam, cortinas, tectum tabernaculi, tentorium, funiculos, vaſa, tabulas, vectes, columnas, baſes, & totam ſupellectilem portarent. Sed Dauid poſteà vel nouum Leuitarum ordinē inſtituit: vel potiùs (quæ verior mihi videtur ſententia) ordini priùs inſtituto nouum munus adiunxit: & nouas quaſi partes aſſignauit. Nam arcæ ferēdæ onere ſublato, Leuitas alios ſacerdotū, & templi miniſtros, alios cantores, alios ianitores, alios ſcribas, & iudices eſſe cōſtituit. Miniſtrorū viginti quatuor millia: ſcribarū, & iudicum ſex millia: cantorum quatuor millia, & totidē ianitorum. Quod varias eccleſiaſticæ diſciplinæ partes, cauſa præſertim poſtulante, prudenter nonnunquàm mutari poſſe, certiſsimè oſtendit. Illud verò maximè noſtri Bezæ conuellit ſententiam, quod in quoſcunque demum ordines Leuitæ diſtributi fuerant, eorum tamen omnium fuiſſe quoſdam principes, Eſdræ octauo memoratur. Poſtremò quid ſibi voluerit, quòd Leuitarum alios in templo cultui diuino ſeruijſſe, alios vero, alijs in locis ſacra peregiſſe affirmat, ſatis mirari nequeo. Nam ſi locorum interuallis diſiunctos, diuerſa neceſſàriò munera obire concludet: non tam Sarauiam ſeniorculi, quòd perquàm facetè dixiſſe ſibi videbatur, quam ipſum Bezam omnes dialecticis imbuti, ob rationes abſurdè contextas, irridebunt. Iam verò ſi quæ ad ſynagogæ adminiſtrationem ſpectabant, ſapientiſsimè â cœleſti numine deſcripta fuerant: quìd non ſacram illam gubernationis formam in regenda eccleſia, Chriſtiani ſemper imitentur? A Leuitico ſacerdotio, ſpirituale Chriſti ſacerdotium adumbratum fuiſſe, haud vnquam negabo. Sed claſsium tamen diſtributiones, & diſpares honorum gradus, ordinis, & venuſtatis

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

causâ fuisse institutos, hebetior mihi videtur, qui non certò perspicit: & præfractior, ac pertinacior, qui non liberè concedit.

Vnum hoc reformatoribus meis restat perfugium: vt hanc administrationis formam Iudæorũ synagogæ accõmodatam fuisse: sed Christi ecclesiæ minùs aptè conuenire dicant. Sed cùm hoc modo se expedire cupiunt, in maiores se conijciunt difficultates. Nam in hac ipsa Christi ecclesia, duodecem apostoli, septuaginta discipulis; septuaginta discipuli, reliquis pastoribus, authoritate præcellebant. Si hoc extraordinarium, & citò mutatum fuisse dicent: quid approbatam ab apostolis disciplinæ formam, omnibus seculis conuenire fingunt? si immutabilis fuit ea gubernationis ratio, quid æqualem omnibus ministris authoritatem, cœlesti lege commendari affirmant? Ita vlcus erit, quicquid attigerint: & quocunque se receperint: omnia sentient infesta Puritanis. Nam si distinctos, & dispares authoritatis gradus, seruator noster Christus in ecclesia olim probauit: & summam iam omnium ministrorum æqualitatem requirit: haud video quanam ratione, certa, & perpetua ecclesiasticæ administrationis forma, euangelio comprehendi videatur. Quod enim extraordinariam fuisse illam gubernationis rationem, & se de ordinaria loqui affirmant: id nihil adiuuabit eorum causam. Nisi forsan vt Agesilaus, cùm omnes fere abiectis clypeis fugissent Lacedæmonij, eamque ob causam capitali supplicio affici deberent: quòd ad mortem trahi tantam hominum multitudinem ciuitati minùs tutum putabat: irritas esse vno die Lycurgi leges: sed pristinum pondus semper posteà habere voluit: ita quæ præscripta sunt in euangelio, interdũ rectè obseruari: sed alijs temporibus omitti, rescindi, expungi, & hominum moribus, parùm vtilia iudicari posſint. Nos autem etiamsi mutabiles esse dicimus nonnullas disciplinæ partes: nihil tamen quod perpetuum

petuum esse ratio postulat, mutandum censemus: & vt retinere obsoleta: ità salutaria repudiare, maximè flagitiosum arbitramur. Sed cùm diuinæ voluntatis internuncios authoritate olim fuisse inæquales constet: ne vel æqualitas contentiones excitaret: vel ex contentione confusio nasceretur: mirabile inprimis mihi videri solet: quòd hanc, quam probârunt Apostoli, gubernandi formam, non tam aptè conuenire nostræ ætati, reformatores dicunt. Quid enim? num tam fideli omnes sunt deuincti concordia, vt istam munerum inæqualitatem, ad contentiones reprimendas minimè requirant? Nulla ætas mei filij, aut plures, aut funestiores discordiarum flammas vnquam aspexit. Num tam religiosè vbique conseruatur ordo, vt adiumenta illa, quibus veteres vsi sunt, nullam nobis vtilitatem afferant? Imò verò extremam omnium rerum confusionem in orbem Satanas inuexit. Quare cùm hunc, quem veteres semper sunt amplexi, gubernandi modum, ad contentiones depellendas, & ad conseruandum ordinem, plurimùm valere communis experientia testetur: quæ tandem erit impietas, res maximè salutares contemnere? Quanta amentia, cùm ijdem renascuntur morbi, non easdem medicinas adhibere? At verò extraordinarium fuisse importunè vrgent, quòd Apostolorum temporibus non vnam omnes authoritatem habuerunt. Fuerit aliquando extraordinarium, sed si ordinem, si decus, si venustatem iam conseruat: maximè ordinarium haberi debet. Rarum, & inusitatum iudicari non potest, quod semper in Iudæorum synagoga permansit. Leuibus de causis haud rectè mutetur, quod perpetuum esse ratio suadet: & à cæca ambitione, id profectum esse quis dicet, quod Christi Iesu authoritate institutum fuisse: & omnibus seculis aptissimè conuenire ipsa veritas euincit?

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Verum vel ego prorsus infœlix, quòd nulla in re quid rectum sit, ac verum inuenire possum: vel nimis est morosus Beza, quòd nunquam mihi, ne vera quidem dicenti:

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

centi assentietur. Primò enim, quod certum fuisse septuaginta discipulorum ordinem dicimus: fabulas inanes, & res planè commentitias, atque iure optimo explodendas, à nobis afferri contendit. Deinde etiamsi apostolorum ætate, inter cœlestis verbi ministros, dispares fuisse authoritatis gradus negare non potest: apostolos tamen Euangelistis, non Apostolis: Euangelistas, prophetis, non hominibus in eodem secum munere constitutis: prophetas pastoribus, non alijs prophetis: pastores ouibus, non suis collêgis præstitisse affirmat. Quod ea, quæ de septuaginta discipulis dicimus, in fabulis habenda dicit: antiquum potiùs morem, omnes à iudicio discrepantes contemnendi retinet, quàm quicquam præstat consentaneum rationi. Quòd si numerentur in fabellis, quæ nec ratione muniuntur, nec certis testimonijs confirmari possunt: Vereor ego plurimum, ne dilectus mihi Beza, insignis fabularum architectus habeatur. Quænam enim argumenta affert, vt certum haud fuisse ostendat discipulorum ordinem? Quibus veterum testimonijs opinionem tam celebrem, tam vbique receptam oppugnat? Annon ita agit, vt iudicandi de omnibus authoritatem sibi assumpsisse, & ex affectione tamen, non ex recta ratione semper iudicare, existimari posit? Primò autem quid in mentem illi venisse putem, vt septuaginta Discipulorum missionem, à solo Luca memoratam scriberet? Num quæ ab vno tantùm Euangelista narrantur, nihil in se ponderis, & momenti habebunt? Num scriptura diuinitùs inspirata, ab hominum multitudine, & consensione, ac non potiùs à veritatis spiritu, qui nec fallit, nec fallitur, authoritatem acquirit? Lucas (fateor) hos Discipulos in loca, quò Christus venturus fuerat, fuisse missos, ac posteà reuersos testatur. Sed quid? num tam inane fuit eorum munus, vt statim id antiquari oporteret? Num tam mutabilis Christus, vt quos sacris semel consecrârat, eos posteà repudiaret? Missos fuisse hos septuaginta constat,

constat, quòd magna erat messis, & pauci operarij. Vnde ergo iste subitus operariorum prouentus, vt Discipulos in messem posteà remitti non oporteret? Reuersis Christus potestatem calcandi Serpentes, & Scorpios concessit. Quorsum tandem? si præclarum hoc munus, in quo non sine fructu eos versatos fuisse constat, nunquam posteà obibant? Verum illi cum Christo, quamdiu permansit in terris, constanter permanebant: cùm terras reliquisset Christus, Apostolis se adiungebant, & comprehenduntur in centum illis, & viginti hominibus, qui Christianæ pietati primi omnium adhærebant. Superiores autem fuisse Apostolos his Discipulis, etiamsi millies id neget Beza, hoc certissimè ostendit: quòd maiori in honore habitos fuisse Apostolos, scripturæ vbique narrant: quòd in hac ipsa missione, amplior legatio Apostolis, quàm Discipulis commissa fuerat: & quòd ex hoc Discipulorum ordine delectus erat Matthias in Apostolorum coetum.

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

At verò Apostolos Euangelistis, non Apostolis: Euangelistas pastoribus, non suis collegis, & pastores tantum ouibus præstitisse contendit. Vt vera esse hæc admittam omnia, quæ tamen falsissima esse veteres Historiæ declarant: semper tamen illud ab eo quæram, quidnam sit, quòd cùm inæquales olim fuisse Cœlestis verbi ministros, optimè intelligat, parē nunc eorum authoritatē esse velit? Quid enim dicet? Diuersosne olim ministrorum gradus constitui Ecclesiæ vtilitas postulauit: & summam iam munerum, atque hominum ecclesiasticorum æqualitatem requirit? Æquumne fuit anteactis temporum spacijs, vt alios superiores hi pastores agnoscerent, & summos iam rerum ecclesiasticarum dominos æquali se modo esse statuant? Optima ne gubernationis forma Apostolorum temporibus in Ecclesia viguit: & ætate nostra, aliæ admittantur administrationum formæ, etiamsi:

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

ſi veteres mores, & vetera inſtituta retineri cœlum, & terræ poſtulent? Iurene apoſtoli alijs verbi miniſtris præſtiterunt, & qui apoſtolis in gubernandi ratione ſuccedunt, nullam præ alijs authoritatem habebunt? Quòd autem æquales inter ſe eſſe exoptat Beza omnes paſtores, minùs id abſurdum videretur, ſi nulla eos ſocietate deuinciri oporteret. Verum cùm magnis præſertim in prouincijs, ſæpe conuenire, controuerſias ſedare, hæreſes reprimere, delinquentes coercere debeant: nihil mihi magis neceſſarium videtur, quám vt æqualitas ea, quæ his rebus maximè obſtat, atquè officit, omni ſtudio repellatur.

Quod autem æqualitatem, concordiæ matrem, nutricem Iuſtitiæ, & ordinis, atque venuſtatis conſeruatricem permulti dicunt: id non de æqualitate, quæ in pondere, aut numero, aut poteſtate conſiſtit: ſed de illa potius, quæ in proportione quadam, ſiue comparatione verſatur, dictum eſſe conſtat. Quod potiſsimum æqualitatis genus, *Ciuitates (inquit Philo) ſibi aſciuiſſe videantur, dum tributum æqualiter ab omnibus pendi præcipiant. Quæ tamen in re non parem pecuniæ magnitudinem à ſingulis exigi, ſed pari potiùs modo ſingulorum opes æſtimari videmus. Proportione (inquit) magna, parua, multa, pauca, & omnia, quæ mundi comprehendit latiſſimus ambitus, dicuntur æqualia: proportione quadã, æqualia inter ſe ſũt quatuor elemẽta: proportione primæ illæ qualitates in corpore humano æqualiter miſcentur: proportione hirundo aquilæ: minimi piſciculi ceto: formica elephanto: corpus animæ: voluptatibus dolores: laboribus præmia: & ſupplicia peccatis æqualia cenſeantur. Quinetiam hominem, ex luto, & argilla factum, magno huic mundo, proportione eſſe æqualem, nonnulli dicunt: & vt mundum, magnum hominem: ita hominem, paruum mundum appellare haud verentur.* Verum cùm hæc proportio minùs dignis minora, & ampliora præſtantioribus attribui poſtulet: illi, quam reforma-

matores videre cupiunt, munerum, & honorum æquationi maximè aduersatur.

His attexi possit, quod ab Augustino dictum est: *ordinem esse dispositionem quandam parium, atque dispa-rium: quæ sua cuique loca tribuit.* Sed quæ tandem dispositio ibi esse poterit: vbi summa officiorum, atque munerum confusio, locum habet? Sua cuique loca tribui, quonam pacto putemus: Cùm ijs, qui æquali non sunt virtute præditi, æqualia proponuntur præmia? & ordinem violari quis negabit: cum nihil prius, nihil posterius, nihil superius, nihil inferius reperitur? Sed quis (inquiunt) nisi malitia cœcus, distinctos gradus ordinis ab illis perfringi dicet: qui pastores doctoribus, doctores senioribus, seniores diaconis superiores constituũt. Cartwrightus enim causæ suæ palam, & aperte diffisus, in hoc diuerticulũ se recepit: vt coniecta ab antiquæ fidei propugnatoribus tela, fuga saltem, & latebris deuitaret. Quæ responsio non tam robore, quàm stultitia aliquantulum nobis exhibuisset negotij: si non à quo primum in lucem allata, ab eo statim deserta, & prodita fuisset. Verum Coryphæus reformatorum, ipse Cartwrightus, qui pastores senioribus, authoritate superiores constituit: quasi procella quadam postea, in aliam sententiam abreptus: seniores pastoribus in transigendis ecclesiæ negotijs, æquales facit. Quis igitur, hos homines cum ecclesia vnquam consensuros putabit: qui secum tam miserè, vel furiosè potiùs concertant? & quid mirum, si aliorum decreta insolenter contemnant: qui impuros, at parentibus nimis similes opinionum suarum fœtus, non aliter quam ferreæ olim naturæ patres, incertis periculis exponebant eos liberos, quos sumptibus suis alere noluerunt, inhumaniter deserunt, & oppugnant? Sed tantam hominum leuitatem, & inconstantiam nolite mirari. Puritanæ enim familiæ splendor, in eô potissimùm consistit: quod nequiter

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem relgio, ratio, natura prohibet.

facere sine labe turpitudinis: quod sine charitatis ruina contentionum flammas excitare: & quòd res maximè aduersas, & discrepantes, sine mendacio tueri potest.

Verùm in his hominibus μηδὲν ὑγιές: aduertamus igitur, quid Beza affert. Disputatio(inquit)de inæqualitate sic accipienda est, vt omnes nôrint, â nobis neque sacro ministerio fungentium supra suos greges eminentiam negari: neque sacras inter se functiones exæquari: neque inter eiusdem muneris collegas προστασίαν ordinis tolli. Pastores Beza gregibus suis authoritate superiores esse dicit. Haud malè hoc quidem, si quibus etiam obtemperare debeant, aliquantò certius indicâsset. Parendi enim, & præcipiendi officijs, cùm omne hominum genus, tum ministrorum præsertim societas, & communio continetur. Haud exæquandas deindè dicit sacras functiones. Quæ nobis munera, quas functiones narrat? Doctorumnè, & seniorum? Sed horum alteri haud necessarium vbique locum obtinent: Alteri ante Caluinum nunquam extiterunt. Et quis eam Bezæ authoritatem tribuet, vt tanquam summus rerum ecclesiasticarum Dominus, perpetuas in ecclesia sedes vtrisque largiatur? Sed quòd ad laicoclericos (fingenda sunt enim vocabula, cùm de re ficta, & commentitia loquimur) quod inquam ad laicoclericos vel acleros potiùs idiotas seniores attinet: rectè eos Beza â pastoribus, gradu, eminentia, potestate, natura, & toto denique genere distinguat. Inter ens enim, & non ens est infinita distantia. Omnem verò ex ecclesia confusionem se depulisse arbitratur, quod ordinis προστασίαν inter ministros admittit. Sed non aduertit vir in alijs prudentissimus, quod inanem ordinis speciem, & nudum plane nomen relinquit, & rem ipsam tollit. Quæ enim alia est huius προστασίας vis, ac potestas quam vt alij alijs priùs sedeant, & de rebus etiam

dubijs

dubijs priùs ferant sententias? Et quis id vnquam ecclesiæ profuturum putabit, si hominibus singulari prudentia, & pietate prædítis, haud alius deferatur honos, quam vt in conuentibus publicis primi sedere: primique de rebus in controuersiam vocatis, sententias suas aperire posint?

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Iam quòd morum, & doctrinæ inspectionem haud penitùs ex ecclesia dimouendam censet: est id quidem præclarũ ad speciem, sed reipsa est leue, ineptum, rationis inane, & omnis ponderis: & nihil vnquam mali ê christiana depellet societate. Nam cùm ab authoritate castigandi seiungitur morum inspectio: non nequitia minuetur, sed certius confirmabitur, & grauior bonis omnibus molestia afferetur. Vehementiùs namque erunt perturbatæ bonorum mentes, cum peccata perlustrant, quæ coercere non possunt: & improbi, cum reprehenduntur ab ijs, quos superiores non agnoscunt, peccandi licentiæ impudentiam adiungent: & excusso pudoris frœno in omni genere flagitiorum audacius exultabunt. Deinde, quis aliorum mores inspiciet? Quem in finem referetur hæc inspectio? Et quorum vitam potisimùm oportet inspici? Plebisne? Est id inprimis necessarium. Verum vt quæ à plebe fiunt imperita, ita quæ geruntur ab ipsis pastoribus, tum diligenter inspici, tum seuerè, si causa postulet, vindicari conuenit. Quinam ergo pastorum mores inspicient? Senioresne? quid ex eo vtilitatis proueniet: si non in tam ampla sint constituti authoritate, vt delicta reprimant, & coerceant,? At quæ scelerate fieri perspiciunt, deferent ad synedria? Id si ita sit, seniores illi, quos tam mirificè nobis Beza commendat, nihil aliud erunt, quam apparitores, & odiosi quidam delatores. Sed quàm venustè hæc inter se consentiunt, vt iuris diuini antistites: vt præsides rerum sacratarum: vt summi in ecclesia magistratus: sint lictores, sint satellites, sint infimi ministelli

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

nistelli in ijs locis, in quibus maximam obtinent authoritatem? Et quidem videte æquitatem horum hominum: ijdem deferent, & sententias ferent: ijdem erunt accusatores, & iudices. Quem vero in finem referri cupiat hanc morum inspectionem, non intelligo. Nisi forsan, vt æquales esse exoptat omnes ministros: quod eo pacto, & sentiant quæ velint, & vt velint, viuant: ita etiam retineri postulet in ecclesia, hanc vetustæ inspectionis speciem: vt quam præclara nobis adimantur bona, ante oculos semper habeamus. Sic per hunc hominem, nec mala, quæ oriuntur, vllo modo depellere: nec bonorum, quæ amisimus, vnquam obliuisci, nobis licebit. Romani cum violandam iudicarent regiam potestatem, & quo id pacto honestè fieri posset, minimè intelligerent, quod præstanti regum virtute ad magnam venissent amplitudinem: excogitârunt quiddam, quo se præclarè, & satisfacturos desyderio, & consulturos religioni existimârunt. Designârunt enim regem, quem in ea tantùm authoritate collocari voluerunt: vt sacrificijs solennibus præesse posset. Et consimili modo Beza, cùm æqualem omnibus ministris authoritatem afferre cupiat, & inspectionem tamen antiquiorem, & magis consentaneam rationi videat, quam vt honestè ex ecclesia dimoueri posit: inspectionem vnius in alterum (sic enim loquitur) retineri: sed eam, cui semper fuit adiuncta inspectio, authoritatem rescindi funditùs, & labefactari voluit. Inepte Romani, qui nomen sine re, regem sine potestate designabant: sed ineptiùs Beza inspectionem sine authoritate, & sine coercendi potestate, reprehensiones in ecclesia retinendas proclamat. Sed non disputabo hoc loco de seniorum munere, ac potestate, quos perpetuos pastoribus comites esse volunt: non quæram, quonam iure, singulis ecclesijs pastores, & doctores præficiunt: qui imperitam plebeculam, disiuncti distrahent: & coniuncti premunt:

ment: commodius ostendam alibi, quam inane sit diuerticulum, quod ad tuendam pastorum æqualitatem excogitant: & rationes tantum illas refutabo in præsenti: quas ad dimouendam ex ecclesia veterem hierarchiam, adhibere solent. Temere enim, & inconsiderate aliena inuadit: qui non sua prius defendit ab hostili audacia: & frustra Puritanos sceleris, atque nequitiæ coarguam: si non nostra prius ab omni scelere aliena monstrauero, In ecclesiastica igitur Hierarchia, archiepiscoporum, patriarcharum, & metropolitanorum nomina reprehendunt: & ipsam condemnant potestatem. Ac nomina quidem inflata, superba, tumoris plena, & à ministrandi ratione longissime aliena dicunt: potestatem vero maiorem esse affirmant: quàm vel ministri pij, & moderati sibi assumere: vel homines ad libertatem nati, in alijs recte perferre posßint. Episcopi autem nomen in ecclesia adhuc retinent: sed authoritatem omnibus modis infringere conantur. Nam inter eos, qui habentur episcopi: & infimos quoslibet ministellos, nullam dicunt differentiam reperiri. Sed quibusnam rationibus hæc confirmabunt, paulo diligentius libet expendere. Ac a patriarcha, qui primum patrum designat, ordiemur. Quod quidem nomen, siue ordinis, siue præstantiæ ratione vsurpetur: haud video, quid non in ecclesia perpetuò retineri posßit.

Eam, quam reformatores requirunt ministrorum æqualitatem religio, ratio, natura prohibet.

Si nullos enim ordine haberi primos velint: omnem in ecclesia perfringent ordinem: si nulli dignitate primi, sine scelere iudicentur: quîd non vniuersum reprehendunt hominum genus: quod vt loca nonnulla magis obscura, ita alia celebriora, & illustriora quodammodo esse voluit? Quîd non iniustitiæ condemnant cœleste numen: quod dona sua cum hominibus, cumulatiori interdum mensura, interdum vero parciori communicat? Patriarcha significat stirpis alicuius, siue gentis initium. Quo nomine, cum appellati essent veteres illi, quos magistros

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina inflata, nec munera antichristiana.

gistros potiùs pecoris quàm in regia potestate constitutos fuisse, scriptura narrat: quòd nimirum eorum satu editi fuerunt varij patres familiarum: quid non patriarchæ etiam nomen illis in Ecclesia pastoribus rectè tribui videatur: qui primum inter episcopos, quos parentum loco semper coluit vetustas, locum obtinent: & quasi inaugurant, & sanctissimarum rerum procurationi consecrant omnes eos: qui in prouincijs sibi concreditis ad episcopale munus prouehuntur? Meo quidem iudicio ob hanc, quam recensui, causam, patriarchæ, siue patres primi meritissimo appellari possunt.

Sed hîc ad euertenda ea, quæ à nobis afferuntur machinas quasdam Beza comparat. Vel enim ἀρχὴ (inquit) principatũ significat, vel initium quoddam, & originem. Originem ministrorum nemo Patriarcham dicet. Sequitur ergo vt principatum Cœlesti lege ministris interdictum, hoc verbo designari affirmemus. In ratione tam inani haud diu morabor. Patriarchæ non ministerij: sed ministrorum potiùs patres appellari possunt: quemadmodum doctores in Academijs censentur eorum patres, quos ad doctorum munus admittunt: et ministros eorum patres appellari videmus, quos ad pietatẽ erudiunt, & informant. Et quemadmodum patres sobolis suæ initia, origines, & authores communi sermone appellantur: ita patriarchæ episcoporum, quos sanctissimarum rerum procurationi consecrant: patres, & quasi initia quædam appellari possunt. Leuiores igitur sunt rationes Bezæ, quam vt patriarchæ, vel patris primi nomen, quidquam in se tumoris continere, aut his, qui ad sacra administranda alios admittunt, minùs aptè conuenire ostendant. Patriarchæ inter episcopos habentur primi: quod ordinem potiùs, quàm principatum: authoritatem pastoralem, quam potestatem regiam designat: sed quod dominationem repellit omnem, patres similiter habentur. Vt si primarum sedium dignitas eorum animos (quod

quam sæpe accidat experta debeo cognoscere) immoderatius efferret: ex lenissimo tamen patris nomine, quænam sibi potestas sit commissa, intelligerent. Iam vero, qui lenem, ac mitem, & naturæ maximè coniunctam patris potestatem, vt duram, & violentam, & animo vere libero aduersam infringunt: haud iniustè profecto ab illis contemnãtur, à quibus se maximè coli expetunt. Ex his patet, quod patriarchæ nomen, nullam præ se fert superbiam: nullum tumorem: nihil quod non cum humili, & demissa ministrandi ratione aptissime copuletur. Sed etiamsi neminem in Ecclesia patriarcham appellari permittent: metropolitani tamẽ fortasis haud improbabunt nomen. Non illustriorem enim præ se fert authoritatis speciem, quam quæ optimè conueniat ministri officio. Verum vt patriarcharum, & archiepiscoporum nomina reprehendunt: ꝙ vt verborum ἔτυμον videtur indicare, eminentiorẽ quandam potestatem designant: ita metropolitani etiam nomen, homines vere λογομάχοι inuadunt: quod ad exuperantiam quandam potestatis significandam adhibetur. Atque vt non ferendam esse in Ecclesia archiepiscoporum, & patriarcharum potestatem affirmant: quod eorum nomina sunt inflata, & superba: ita abijciendum esse censent metropolitani nomen: quod illis potissimum hominibus attribuitur: qui immoderatam in ecclesia authoritatem exercent. Sic in eisdem muneribus, & officijs, res propter nomina, & nomina propter res, vt qui ecclesiæ instituta omnibus modis labefactare sibi assumunt: nec quo tamen pacto labefactentur, inuenire possunt, temere, & inconsiderate reprehendunt. Sed vt omnes intelligant quam frigidæ, & ieiunæ sunt calumniæ, quas ad infringendã metropolitanorũ authoritatẽ adhibere solent: illud inprimis obseruari vellẽ: quod veteres olim prophetæ, qui cœlesti afflatu concitati erant: ꝙ prophetarum princeps Christus Iesus, cum docendi munus in terris obiret: quod Christũ apostoli sanctissimè imitati, in celeberrimis ciuitatibus frequen-

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina inflata, nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina inflata, nec munera antichristiana.

quentius docuerunt. Quod quidem, non leuiter, & ambitiose factum existimari debet: quis enim de sanctitatis authore Christo, tam scelerate cogitaret? sed vel, quod ex amplissimis ciuitatibus pietatis riuuli, tanquam profluentes ex editis, & præcelsis locis amnes, in varia loca facillimè deriuari possint: vel quod cœlestis benignitas, veræ libertatis lucem illis primo affulgere voluit: qui crudelissimo animorum carnifici Diabolo, omnium maximè seruiebant. Sed cum institutæ ab Apostolis in celeberrimis ciuitatibus Ecclesiæ, Cœlestis verbi semen, in prouincias sibi adiunctas spargerent: & alias Ecclesias, quasi filiolas quasdam parerent, & procrearent: haud minus iustè meo iudicio Metropoles, quam ciuitates illæ, quæ terrenis de causis colonias aliò deducebant, appellari cœptæ sunt. Iam vero, vt coloniæ ciuitatibus illis, è quibus emissæ fuerant, maximum libenter honorem deferebant: ὅτι γὰρ φύσις ἡ ἀνθρωπεία προστάττει, καὶ ὁ πάντων κοινὸς Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων κελεύει νόμος, ἄρχειν, καὶ τὰ δίκαια ὁρίζειν, τοὺς πατέρας τοῖς ἐκγόνοις, καὶ τὰς μητροπόλεις ταῖς ἀποικίαις: quid non etiam ecclesiarum in singulis prouincijs primo satarum soboles, & fœtus (humanitatem enim non extinguit, sed auget religio) Ecclesias illas, è quibus ortæ sunt, in matrum loco habeant. Sed si quis hæc à nobis sine ratione, sine authoritate dici existimet: velim is audiat Tertullianum, quo vel certior, vel locupletior testis, siue eruditionem, spectemus, siue antiquitatem, vix alius reperiri potest. Is autem ab Ecclesijs Apostolicis, traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteras Ecclesias mutuatas esse dicit; & quotidie mutuari, vt Ecclesiæ fiant: is alias esse Ecclesias Apostolicas, alias vero sobolem Apostolicarum Ecclesiarum apertè docet: is Apostolicas illas Ecclesias, matrices, & originales appellat. Cum ergo, vt antiquissimis illis, ita etiam optimis temporibus nonnullæ in singulis prouincijs ecclesiæ, aliarum Ecclesiarum matres,

matres, matrices, originales haberentur: quid tandem tam acerbe agitatur metropolitæ nomen? quid in omnes eos qui hoc nomine appellantur, tanquam in hoſpites peregrinos, tam rabioſe latrant Aerij catuli? Nouum certe id nomen, & vetuſtis auribus inauditum Iudicari non poteſt: quod antiquum eſſe antiquiſsima ſynodus profitetur, & ſuperbum, atque inflatum ineptè dicitur, quòd â matris nomine, quo nullum in terris nomen eſt amantius, aut indulgentius, ortum habet. Quare cum in metropolitæ nomine nihil reperiatur, quod iuſtè reprehendi poſſit: quis non hos reformatores, vt ſophiſtas improbe litigioſos contemnet: cum tam acerbas de verbis contentiones excitent? Sed nō minori malitia, in archiepiſcopi nomen irruunt. Eo enim nomine, quæ Chriſto ſunt propria ad homines transferri: eo nomine, regiam quandam, & verbi miniſtris, quos humiles eſſe oportet, minus aptam eminentiam deſignari, dicunt. Archiepiſcopi nomen Chriſto Ieſu proprium eſſe ex eo concludunt: quod ſalutis noſtræ effector Chriſtus, αρχιποίμην, vt nonnulli interpretantur, princeps, vt alij, magiſter, vt haud pauci volūt, ſummus paſtorum â Petro appellatur. Sed primum, quis hoc neſcit, quod quæ præcipue, & abſolute præpotenti deo conueniunt: ſecunda quadam ratione hominibus tribuantur? Exodi tertio deus appellatur is, qui eſt: ſed actorum decimo ſeptimo, nos omnes in deo viuere, moueri, & eſſe dicimur. Quod demum nomen deo aptius conuenit, quam vt vocetur deus? ſed varijs etiam ſcriptutæ locis, magiſtratus, deos appellari videmus. Lux mundi ſalutaris eſt Chriſtus Ieſus: ſed Chriſtum, vt arbitror, loquutū vera haud negabunt: cum lucem mundi, apoſtolos eſſe dixit. Vnus eſt αρχιποίμην Chriſtus, cui omnes in terris paſtores obtemperare debent. Sed alios tamen eſſe in prouincijs, quos regunt, ſummos præſules, & archiepiſcopos, haud video, quid non tuto affirmari poſsit. Omnium conditor, & deſignator deus propriè appellatur, libenter

Archiepiſcoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina inflata: nec munera antichriſtiana.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nominā sunt inflata: nec munera antichristiana.

benter dicerem, si delicatiores paterentur ens, siue qui est, quod semper natura sua, sine aliorum ope subsistit: quòd nec ab alio fluit: nec mutationem patitur in seipso: nec vllo temporum decursu, aut dissipari, aut absumi potest: quòdq; tam plene, & perfecte est: vt nec elapsum sit aliquid, quod in illo vnquam fuit: nec futurum sit aliquando, quod iam non est. Sed esse etiam dicamus omnia: quæ ab æterna mente constituta, in rerum natura constant. Præpotens illud, & nobis semper adorandum numen vocatur deus, quod per vniuersam mundi molem intentum commeat: & quod omnia, quæ olim creauit, æterna iam prouidentia regit: admirabili disponit consilio: perspicaci iustitiæ oculo perlustrat: & pietate tuetur, ac conseruat. Sed augustum hoc dei nomen ipsis magistratibus attributum legimus: quod quasi designati quidā sempiternæ maiestatis vicarij, innocentiam in terris, & æquitatē defendūt. Iam vero arcanum Iehouæ nomen, quod omnipotentiam cum æternitate coniunctam, & originem, ac vim constituendi omnia, quæ sunt, certò designat: vt cauillari tandem reformatores desinant: cum nullo homine communicari dicimus. Hominum lux est Christus, quod arcanam patris voluntatem nobis enunciat: & collustrat omnem hominem venientem in mundum: lux etiam mundi vere dicuntur ipsi apostoli: quod sempiternæ lucis, quasi radijs collustrati, errantibus viam demonstrârunt. Pastorum princeps appellatur Christus: & eo nomine iustissime appellari potest. Solus enim fideles, vbicunque demum sint dispersi, spiritus sui afflatu regit, & verbo pascit salutari: solus ad salutem suarum ouium pastores excitat: & ad tantum munus obeundum idoneos facit. Ab eo, qui non pascitur, in summa rerum affluentia, inedia interit: ab eo qui in ouile non deducitur: diripere, non pascere: mactare, non reficere videatur. Alios tamen in prouincijs sibi concreditis, summos haberi pastores nihil prohibet: qui tanquam in spe-

culis

culis collocati,perſpiciant, quemadmodũ quiſq; inferiorum paſtorũ, munus ſibi cõmiſſum gerat. Poſtremo hoc reſponſum Puritanis afferre libet. Chriſtus abſolute, & omnibus modis omnium paſtorum ſummus appellatur: archiepiſcopi definitam, & certis prouinciarum terminis circumſcriptam authoritatem habent: Chriſti oues ſunt omnes illi,qui ſummi in terris, & optimi paſtores habentur:ſed tãtam ſibi authoritatẽ archiepiſcopi ſine maximo ſcelere arrogare non poſſunt. Hic à nobis quærit Beza, num probari poſſet ille ſubditus, qui ſecundarium ſe regẽ eſſe affirmaret. Minimè inquam. Niſi forſan nequitia cum incredibili ſtultitia coniuncta,rectè à quoquam probari poſsit. Si regem enim ſe diceret, ſupremam ſibi poteſtatem vendicaret: ſi ſecundarium ſe appellaret,eo ipſo fateretur ſe nõ eſſe regem. Stultitiæ autem,& ſceleri quæ afferatur defenſio? Sed videamus, quas hinc cõcluſiones meus Beza eliciet.Si leges(inquit)humanas violat,qui ſecũdariũ ſe regẽ appellat: quonã pacto excuſetur eius nequitia,qui paſtorũ ſummum,quod nomen ſoli Chriſto cõuenit,ſecunda quadã ratione ſe vocari permittit?Eſt diſpar,mi Beza,& diſsimilis ratio:Nam maximũ,minimum, ſummum, infimum, medium, extremum, ita dicuntur cõparatè:vt quæ vno modo ſumma haberi ſolent,alio inferiora haud rarò habeãtur.Sed ſi verè,& propriè loquamur, haud eum dicemus regẽ,qui in ſecundis, aut tertijs cõſiſtit:& qui alterius authoritati paret,haud regiam obtinet poteſtatẽ. Rectè poeta quiſquis fuit:*eſſe ſat eſt ſeruũ, iam nolo vicarius eſſe, qui rex eſt regem maximè non habeat.* Quem enim appellemus regem? aut in quo hoc nomen ponatur?opinor in eo,qui in prouincijs ſibi ſubiectis,omnibus alijs,authoritate,honore, & poteſtate præeſt. Cum ergo Beza ſecundarios quoſdã reges,imprudẽter certe,& imperitè nobis proponat:ſecũdos cũ primis:inferiores cũ ſummis:cũ præcipientibus ſeruos: & ſubditos cũ regibus temerè confundit: & ſacram illam imminuit principum maieſtatẽ, quæ non niſi in maxima,& ſuprema poteſtate

Archiepiſcoporum,patriarcharum, metropolitanorum; nec nomina ſunt inflata: nec munera antichriſtiana.

 repe-

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina inflata: nec munera antichristiana.

reperitur. Vt redeamus ergo ad propositum: summi in prouincijs suis dicantur pastores, qui cum ad Christum referuntur, non modo non summi, sed ne pastores quidem dici possunt. Sed qui summam non obtinet potestatem, minùs verè, & propriè rex appelletur. Deinde vt regis nomen, ac potestas, cum inferioris conditionis hominibus communicari non potest: ita nomina quædam Christo Iesu eum in modum conueniunt, vt hominibus sine magno scelere attribui non posint. Quod vt rectius intelligatur: animaduertendum est, nomina plerunque sequi rerum naturas: quemadmodum τὰ ὀνόματα μιμήματα εἶναι τῶν πραγμάτων eleganter Aristoteles dixit. Cum ergo Christus Iesus permulta gesit, quæ tantæ sunt præstantiæ, vt in eorum societatem, nec vlli mortales, nec spiritus cœlestes venire potuerant: apparet quidem nomina quædam Christo conuenire, quæ hominibus attribui religio prohibet. Sed quoniam haud pauca eorum, quæ Christus primo, & præcipuè, spiritus afflatu præstat, externo hominum ministerio præstari possunt: hinc fit, vt nomina quædam, quæ Christo Iesu præcipuè conueniunt, secundariò cum ministris illis, quorum vicaria fide, atq; opera vtitur Christus, communicari dicamus. Solus seruator meus Iesus incensam numinis iram placauit: solus ex inferorum faucibus, & è potestate tenebrarum miseros mortales eripuit: solus salutem nobis, ac vitam, & veram immortalitatem procurauit. Haud alij ergo præter Christum, vel mediatores dei, & hominum: vel humani generis redemptores: vel seruatores ecclesiæ rectè appellentur. Verum Christus meus interno spiritus sui afflatu ita errantes instruit, vt externum docendi munus alijs committat: ita pascit, vt in pascendo alios versari velit: ita suorum mores inspicit, vt alios non prohibeat designari morum inspectores: & denique ita gubernat, vt alios rerum ecclesiasticarum gubernatores constitui præcipiat.

Sed

Sed cum inter hos gubernatores nullus ordo esse possit, nisi alij habeantur primi, & alij in secundis, aut tertijs consistant: cùm vix vllo modo, vel reprimantur hæreses, vel accensæ discordiarum flammæ restinguantur, nisi superior quædam tum Iubendi, tum vetandi potestas, exploratæ pietatis, & prudentiæ hominibus deferatur: minùs iustè me reprehendit Theodorus Beza, quod singulis in prouincijs summos quosdam antistites, siue archiepiscopos appellem, siue patriarchas, siue summos pastores constitui, maximè necessarium existimaui. Quod autem archiepiscopi nomine, regiam quandam eminentiam designari reformatores dicunt: falsum id esse, antea demonstraui. Ἀρχὴ enim principium sæpius, quam principatum significat: & cum eminentiam, atque authoritatem designat: non tam regiam potestatem: quam aliam quamlibet præsidendi rationem nobis proponit. Athenas (credo) græci sermonis haud imperitas fuisse dicent. Sed hæc ciuitas, etiamsi popularem reipublicæ formam, ita approbauit: vt nec vllam regni speciem, nec potestatem paulo eminentiorem ferre posset: prætores tamen suos, quos in singulos annos eligere consueuit, ἄρχοντας appellauit. Quod certe nomen, haud vnquam illis tribuisset: si aut sublimius id esse Iudicasset: aut cum regio principatu coniunctius, quã in liberrima ciuitate tolerari posset. Dionysius Halicarnassæus, quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse atticas, institutos â Numa Pompilio pagorum magistros ἄρχοντας, ἐπισκόπους, καὶ περιπόλους appellat. Sed rem satis manifestam, manifestiorem adhuc facit Herodotus: quo testis locupletior, cum de significatione verborum cõtrouersia habetur, afferri non potest. Μετὰ τῆς inquit Herodotus βασιληίης τὴν κατάπαυσιν ὁ Δημάρητος ἦρχε αἱρεθεὶς ἀρχήν. ἦσαν δὲ τῆς γυμνοπαιδίαι θεωμένου τοῦ Δημαρήτου ὁ Λευτυχίδης γεγονὼς ἤδη αὐτὸς βασιλεὺς ἀντ' ἐκείνου, πέμψας τὸν θεράποντα, ἐπὶ γέλωτί τε, καὶ λάσθῃ, εἰρώτα τὸν Δημάρητον, ὁκοῖόν τι εἴη τὸ ἄρχειν μετὰ τὸ βασιλεύειν: μετὰ τῆς βασιληίης τὴν κατάπαυσιν, ἦρχε αἱρεθεὶς

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiſcoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina ſunt inflata: nec munera antichriſtiana.

ἀρχὴν: cum de regia dignitate depulſus eſſet Demaretus, præfecturam quandam obtinuit. Et rurſus ἠρώτα τὸν Δημάρητον ὁκοῖόν τι εἴη τὸ ἄρχειν μετὰ τὸ βασιλεύειν, hoc eſt, interrogabat Demaretum, qualis ſibi res præfectura poſt regium principatũ videretur. Quòd ſi Herodotum, Dionyſium, & ipſas omnium artium inuentrices Athenas, in quibus dicendi elegantia, & inuenta eſt, & perfecta: Græci ſermonis vim, ac proprietatem ignoràſſe dicent: mirabor certe impudentiam hominum: haud dignam iudicabo grauiori refutatione. Sed in cauſa tam firma, non eſt quod timidius declinem reformatorum impetus: largiar illis liberaliter: quod nullis vnquam argumentis efficient: regium principatum, illuſtremq; authoritatis eminentiam, & præcellentem poteſtatem ἀρχὴν ſignificat: cum hoc tamen aſſequuti fuerint: hærebunt miſerè in ſalebris: & id, de quo tantopere contendunt, haud vnquam poterunt obtinere. Probata enim ſemper ab eruditis fuit hæc regula: in vocibus non eſt videndum ex quo, ſed ad quid ſumuntur. Nam dictiones eccleſia deflectit interdum a natiua ſignificatione: & nouam illis, tanquam rudiori argento formam imprimit: & quæ communioris videbantur ſortis, ſacris vſibus ita conſecrat: vt tanquam homines ad aliquod munus electi, veterem quaſi habitum, atque ſpeciem exuere: & nouum ius, ac nouam poteſtatem adipiſci videantur. Cum ergo archiepiſcopi nomine nõ principatum, ſed ſuperiorem tantum in pertractandis eccleſiæ gubernaculis gradum: non dominatum, ſed paternam præſidendi rationem, eccleſia ſemper intellexerit: inepte profecto, & improbe Puritani, vnde profluxit hoc nomen, exquirunt, cum perpetuum potius nominis in eccleſia vſum obſeruare debuiſſent. Ab his depulſi, ad alia ſe conferunt: & antichriſtiana eſſe patriarcharum, metropolitarum, & Archiepiſcoporum nomina furioſe clamant. Quæ cum verbo tantum ſine omni ratione affirmant, ſufficiet nobis verbo negare. Quid minus hominis (inquit Cicero)

cero) quam obijcere aduersario, quod ille verbo si negarit: longius progredi non posit, qui obiecerit. Sed hæc nomina sacris literis nusquam reperiri dicunt, ô plumbeum pugionem. Quasi vero illis vocibus, quæ in scripturis nō sunt repertæ, ecclesia vti non posit: aut quasi nihil in cœlesti verbo continetur, quod totidem syllabis comprehensum non extat: aut quasi nominibus, non officijs ecclesia gubernetur. Sed quid si archiepiscopale munus sacris literis non modo reperiri, sed approbari etiam, perspicuum fieri posit? quid si non minoris potestatis nomina, diuinæ voluntatis internuncijs, in scripturis tribuuntur, quam hoc, quod tam acerbe agitatur Archiepiscopi nomen? nunquamne ab his hominibus impetrabo, vt tam acerbas de verbis contentiones excitare desinant? Qui cœlestem alijs voluntatem commonstrant, ἡγούμενοι ad Hebræos, vt de alijs non loquar eorum nominibus, appellantur. ἡγεῖσθαι autem, à quo oritur ἡγεμών, & ἡγεμόνικον ἐπὶ ἀρχῆς τινὸς ἢ ἐξουσίας λαμβάνεσθαι, vel qui leuiter degustârunt Græcas literas, facilè intelligant. Postremo, quod hæc nomina, purissimis Ecclesiæ temporibus, Cœlestis verbi Ministris attributa negant, minimo negotio refelli possunt. Nam vt omittam quod προεστῆκοι appellantur: & proagoras (vt inquit Cicero) designat summum magistratum: vt de eo nihil loquar, quod dicuntur ἡγούμενοι ἐκκλησιῶν: quod vocabulum eminentiam dignitatis significare antea dictum est: vt tacite prætereā quod προεστῶτες, & προϊστάμενοι sæpissime appellantur, quæ de ijs qui potestate alijs non præstant, dici non possunt: vt de eo reticeā, ꝙ episcopi, à veteribus ἁρμοσταὶ appellātur: quod nomē Spartanis regibus tributū fuisse Dionysius testatur: ipsi certè apostolorū canones, & Nicœnæ, atq; Antiochenæ synodi decreta tā manifesto metropolitas nobis depingūt: vt res tā claras, & tā apertas negare, maximæ sit amentiæ. Quid hic reformatorū deliciæ Beza? diuinæ voluntatis interpretes, & internuntios sacratissimis literis προεστῶτας κἠγεμόνας;

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina inflata, nec munera antichristiana.

appellari concedit. Continuò tamen, perinde quasi nihil magis metueret, quàm priscis patribus assentiri, ad mores suos redit: ex antiquitatis amatore, repentè, & è vestigio, tanquam Circæo poculo factus est Beza: & hæc nomina cœlestis verbi ministris attribui affirmat, quòd gregibus suis præsident, non quòd in homines sacrarum rerum procurationi deuotos, vllam obtinent authoritatem. Rursus tamen (videte quæso hominis constantiam) hæc nomina, nescio quam tumoris speciem præ se ferre contendit. Quis ergo mirandum putabit, quod patriarcharum, & archiepiscoporum nomina, moroso huic, & difficili Aristarcho displicent: cui ipsa illa, quæ sacris in literis pastoribus tribuuntur, paulo tumidiora, & pleniora insolentiæ videri solent? Illud verò quale tandem iudicetur, quod nullos episcopos primos appellari permittit: cum Petrum Matthæus apostolorum primùm dicat? Solisne archiepiscopis, an Apostolis, & scripturis diuinitùs inspiratis aduersatur? Quam incredibilem etiam leuitatem, & inconstantiam in eo prodit: quod ordinis *προεδρίαν* inter episcopos constituit, & nullum tamen inter eos haberi primum permittit? Satis iam tandem manifesto apparet: haud superba esse patriarcharum, & archiepiscoporum nomina: haud profecta ab elatione, aut inflata tumore: haud ab ea humilitate, & animi demissione aliena, quæ cœlestis verbi ministris maximum decus, & venustatem affert. Sed cum Archiepiscoporum nomina, non aliam ob causam reprehendunt: quam vt nomini accommodatum munus, facilius rescindant: expendamus quasnam machinas, tum ad conuellendam archiepiscoporum authoritatem, tum ad peruertendum munus potissimum commoliri, & admouere solent. Officium igitur quod sibi assumunt archiepiscopi, non sacris literis institutum reperiri: non à pia, & prudenti vetustate approbari: non vllam ecclesiæ vtilitatem afferre: sed ab informi earum rerum, quas coniungi natura vetat, dominatus nimirum

minum, & ministrationis commixtione imprimis profectum: auctum deinde â cæca hominum interdictam dignitatem appetentium ambitione: tum scelere confirmatum, & omni iniustitia: semẽ præterea, & initium, nec semen solum, sed perpetuum etiam alimentum omnium malorum, quæ in ecclesia vidimus: quid multa? improbũ esse, & cœlesti lege condemnatum, & plane antichristianum dicunt. Sed vt quam vere hæc dicantur, certius â nobis cognosci posꝭit: quodnam sit archiepiscopi munus, & quibusnam in rebus potissimum versetur, haud erit alienum â causa diligentius perquirere. Archiepiscopos eam ob causam institutos constat; vt episcopos inaugurent, & alios ministros: vt eorum mores, ac vitam, quorum fidei concreduntur sacrosancta negotia, diligenter inspiciãt: vt improbos ex ecclesia eijciant: vt curent omni studio, ne quid falsi doceatur: vt altiori loco, quasi in specula collocati, omnia, quæ in prouincijs suis geruntur, studiose perlustrent: vt schismata reprimant, & dissensiones: vt ad dirimendas controuersias synodos conuocent: vt quæ ab ecclesia sunt decreta, infringi â nullo, & violari permittant: vt omnia denique fideliter, & prudenter administrent: quæ vbi summa hominum est æqualitas, nec tam facile suscipi: nec â multitudine, sine confusione tractari: nec ab ijs, qui inter se dissentiunt, ad fœlicem exitum vnquam perduci possunt. Has res archiepiscopi, ex officij sui ratione sibi gerendas assumunt: in his expediendis, eorum omnis industria collocari debet. Quod eorum munus, si quis cum scelere coniunctum, & copulatum statuat: vel res ipsas, in quibus versatur, natura malas, & impuras finget: vel tantarum rerum molem, vnius arbitrio, ac potestati, minus tuto committi Iudicabit. Si res ipsas natura malas, & sceleratas Puritani dicent: de scelere, & nequitia Christi apostolos condemnabunt. Quæcunque enim archiepiscoporum fidei, ac religioni committenda diximus: ea olim apostoli sãctissime

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt christiana, munera anti- inflata: nec

V.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

sime obierunt. Si commodius has res, dum æquales sunt omnes ministri, quam cum vnus alijs authoritate præest, administrari contendant: apertissime confligunt cum recta ratione. Nequitiæ si condemnent sanctissimos apostolos, inexpiabile scelus in se admittunt: si repugnent rectæ rationi, inanes se ostēdunt omnis prudētiæ. Vtroq; sane modo Puritanæ labi aperte fauebunt: sed meos ego in hominū vere piorū numero, & esse, & haberi mallem.

Archiepiscopi episcopos, & ministros consecrant, & inaugurant. Quid tandem in ea re mali? Annon Tito, vt idem faceret, apostolus præscripsit? Archiepiscopi alijs ministris authoritate præstant. Quis hoc iniquum putabit? qui Timotheum Ephesinis presbyteris tanquam iudicem præfuisse aduertit? Archiepiscopi omnes in prouincijs suis ecclesias, tanquam communes quidam rerum sacrarum præsides, & antistites gubernant: sic Christo maxime dilectus apostolus Iohannes, omnes (vt Eusebius refert) in Asia ecclesias gubernabat. Archiepiscopi grauiora si quādo negotia oriantur, episcoporum, & ministrorum concilia instituunt: sic Asiæ episcopos Paulus, Epheso Miletum accersendos curauit. Sed quid nobis (inquiet) apostolos: quid euangelistas proponis? extraordinariam illi potestatem, & conferendis tantum ecclesijs aptam habuerunt. Quod cum præstitissent, è rebus humanis abiêre: & antiquatum fuit continuo eorum munus. Quod homines ad diripiendum, quam ad dandū propensiores largiuntur, libenter accipio: & ex eo ad hunc modum conecto rationem. Quod olim munus apostoli obierunt: id nec tempore nouum: nec ortum ab ambitione: nec elatione tumidum: nec iniquum natura: nec vllo modo antichristianum haberi potest: sed quod iam munus archiepiscopi obeunt, id olim apostoli obierunt: nihil ergo in se hoc munus comprehēdit, quod iuste possit improbari. Quis id tempore nouum esse dicet: quod & antiquissimis, & optimis temporibus approbatum fuerat?

rat? Peregrinum in dei populo quonam iure censeatur? quod semper in ecclesia in hanc vsque ætatem permansit? num quis id ab ambitione profectum iudicabit: quod & optima ratio produxit: & ecclesiæ salus cõstitui postulauit? Improbitatem certe nõ alit, quod conseruat ordinẽ: & quis antichristianum id munus appellabit: quod Iesu Christi apostoli obiêrunt? Quid enim? cum Tito Cretensium ecclesiarum curam apostolus commisit: num muniuit viam antichristo? cum Timotheum, vt iudicem pastoribus præesse voluit: num formauit Antichristum? cum Asianos episcopos Miletum accersiuit: num præcursor fuit Antichristi? cum Iohannes ex Pathmo reuersus, omnes in Asia ecclesias gubernauit: iustene Antichristus appellari poterat? Hæc rursus archiepiscopos cum apostolis, temere & imperite cõfundi, vniuersa (credo) clamabit reformatorũ natio. Sed importunis tamẽ clamoribus hominum, quibus vita sine contentione vix videtur vitalis, à veritatis defensione abduci nõ debet. Permulta quidẽ eximia in apostolis effulsisse fateor, quæ in alijs ministris reperiri nõ possunt: sed permulta etiam cũ archiepiscopis: haud pauca cum quibuslibet diuinæ voluntatis interpretibus, & internuncijs: nõnulla sibi cum omnibus pijs communia habuerunt. Christum Iesum apostoli, ardenti fide, & religione coluerunt: apostolos in hac re omnes vere pij imitantur. Apostoli hominum misere errantium animos, cœlestis doctrinæ præceptis imbuerunt: apostolis in hoc munere succedunt fideles ministri. Apostoli, & multas ecclesias, & ipsos etiam ecclesiarum præsides, & custodes gubernârunt: hanc authoritatem acceptam ab apostolis, archiepiscopi, & episcopi, ad summam ecclesiæ vtilitatem exercent. Sed apostolis hoc maxime proprium, & peculiare iudicari debet, quod non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum ad promulgandũ dei euangelium segregati fuerant: & quod radijs quibusdam sempiternæ lucis, ita collustrati erant eorum

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

animi, vt in omni re quid veritas præscriberet, quid summa ratio postularet, sine vllo errore certißime viderent. Sed quoniam importunius quærit reformatorum familia: num archiepiscopi apostolorum temporibus in ecclesia constituti fuerant: vt de hac etiam re aliquid à nobis dicatur: suscepti negotij ratio postulat. Ac certe lux veritatis, & vita memoriæ historia, manifesto nobis commonstrat: quod ecclesiam, & omnia etiam ecclesiastica negotia, ipsi apostoli, ascitis tamen in laboris societatem septuaginta discipulis, communiter primo gubernabant. Sed cum cresceret indies piorum numerus: & ecclesiæ singulari dei beneficio in varijs locis constitutæ, minus commode à pauculis regi, & gubernari possent: plures quidem rerum sacrarum præsides, ac custodes designati: & æquitatis ratio postulauit, & totius etiam ecclesiæ salus. Hanc ob causam apostoli non minus diligenter, quam si in aliorum salute, salutem suam, ac gloriam contineri iudicâssent: in omnibus, quas condiderant ecclesijs, fideles, & sanctos cœlestis verbi interpretes collocârunt. Neque tamen laborum, & molestiarum suarum partem ita in alios deriuârunt: vt ipsi interim libere, ac solute viuerent: & nullam ecclesiarum, quas condiderant, curam haberent: sed conuersas ad fidem ciuitates peragrabant: ministrorum mores, & vitam, optimis præceptis, & institutis informabant: laudabant eos plurimum, qui munus sibi commissum fideliter obibant: tardiores excitabant: acerrime oppugnabant nequitiam: hæreses vero, vt spurcißimas Christianæ pietatis labes, ac corruptelas omni studio euellebant. Sed cum latius spargeretur cœleste semen: & cum apostoli, vt qui fundandis ecclesijs potißimum erant consecrati, terrarum orbem peragrare cogerentur: & nec vno in loco diu commorari: nec quæ ad singularum ecclesiarum vtilitatem pertinebant, commode procurare possent: ex ijs quos itinerum comi-

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

tes, laborum socios, & in rebus agendis adiutores maxime fideles habuerunt: nonnullos pietate præcellentes, in singulis prouincijs reliquerunt. Quibus hominibus hoc potissimum muneris fuisse commissum constat: vt res ab apostolis inchoatas perficerent: & fundamentis prius Iactis, structuram maxime accommodatam efformarent: & procurarent etiam omnia, quæ ecclesiæ vtilitatem allatura videbantur. Sic Timotheum Ephesi â Paulo relictum, & Titum in Creta: sic Crescentem in Galatiam profectum: sic Marcum â Petro Alexandriam fuisse missum accepimus. Quos homines, si quis euangelistas rectius vocari contendet, haud multum repugnabo. Neque enim de nominibus, mihi vnquam concertandum duxi: & appellatos fuisse euangelistas sanctissimos olim viros, qui cum mortem obijssent apostoli, admirabili pietate incensi, terrarum orbem peragrabant: & gentibus maxime barbaris, quæ altissimis erant immersæ tenebris, salutaris euangelij lumen præferebant, veteres historiæ declarant. Sed in hoc semper dissentio â Puritanis, quod sanctissimos illos herôas, cum gentem aliquam, vel prouinciam Christo subegissent: vel archiepiscopali authoritate eam gubernâsse: vel alijs eum in modum gubernandam commisisse, sine vlla dubitatione statuo. Quos gubernatores, siue quis προηγόρους apellet, siue ἡγεμόνας, siue προεστῶτας, siue προεσταμένους, siue archiepiscopos, siue patriarchas, haud multum refert: dummodo non aliud archiepiscopis munus, ab ecclesia iam asignari constet: quam quod primum apostoli, deinde apostolorum discipuli, & imitatores maxime præcellentes olim obiêrunt.

Hic rursus Beza in me incurrit, & quòd par fuit inter apostolos dignitas, gradum episcopalem, & archiepiscopalem haud perpetuò extitisse concludit. Quæ ratio, & imbecillior est, quam vt sententiam nostram infringat: & multò certè leuior, atque inanior, quam vt pluribus

 refutari

Archiepiscoporũm, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

refutari debeat. Nam quamuis æquales inter se erant omnes apostoli: ecclesias tamen prius satas, earumque ecclesiarum ministros, ea, quã archiepiscopis cõmitti diximus, authoritate gubernabant. At si in omni sacro cœtu esset ille gradus ad tuendum consensum necessarius, saltem quamdiu Apostoli erant congregati, aliquem supra suos collegas extitisse oportuisset. Sed hic errat Beza quod ex suo iudicio omnes dimetitur. Lupus putat omnia animalia vesci crudis carnibus: & Beza omnes, ad violandam ecclesiæ pacem propensos arbitratur. Dico igitur, quod ea erant apostoli modestia, ac moderatione: ea patientia: tanta, ac tam eximia pietate: vt subsidijs illis, quæ ad tuendum inter alios consensum, plurimùm conducunt, minime indigerent. Petrus à Paulo reprehensus, æquo animo tulit: Paulique postea laudauit epistolas, Paulus sua ipsius peccata haud occuluit: sed palam indicauit orbi. Et consimilis pietas in reliquis effulsit. Hinc ergo iniquas aliorum reprehensiones grauiter, & acerbè paterentur, qui sua errata, suas culpas reprehendebant? Immodestè alijs se anteferrent, qui omnium seruos se esse prædicabant? Excitarent contentiones, quorum animi cœlestem spirabant charitatem? Quidquamne illis, in rebus humanis graue, aut acerbum videri poterat, qui maledictis, iniurijs, & omni contumeliarum genere pro Christo diuexari lætabantur? Sed vt rectè Aristoteles: si omnes essent amici, haud opus esset iustitia: ita si omnes essent Apostoli, hos dispares authoritatis gradus in ecclesia collocari, minimè necessarium videretur. Cum ergo apostoli, quod quam varijs modis à recto abducatur hominum natura, optimè intelligebant, ea designârint munera, quæ ad reprimendas petulantiorum affectiones plurimùm valere iudicârint: excusari certe non potest eorum nequitia, qui res primo ab apostolis institutas, tum probatas à patribus, & in hunc vsque diem semper continuatas, & quod maximum est, ad conseruandum decus,

cus,

cus, & venustatem imprimis vtiles, ex ecclesia funditùs dimouere contendunt. Sed pergat (vt facit) puritana lues: & archiepiscoporum authoritatem, omnibus modis infirmare contendat. Verũ quo vehementius contendit: eo partium suarum inopiam, ac ruinam manifestius prodit. Tam firmus enim, & omni ex parte tam munitus videtur archiepiscoporum status: vt nisi sceleris condemnentur sanctissimi apostoli: haud vnquam iustè euerti possit. Quod si ob mea, & meorum peccata æquitatem aliquando vincat puritanus furor: & (quod monstrum Christus Iesus auertat) eam, quam tantopere nobis commendat, disciplinam, certis in sedibus collocare, & stabilire possit: antiquum tamen episcoporum ordinem, illi ipsi, qui oppugnârunt, in ecclesiam reuocari, misere, & frustrà exposcent: & paucorum libidini præferendum esse longissime Christiani orbis consensum, vel malis suis edocti accurate perspicient. At vero Apostolorum (inquiunt) mores, & instituta, archiepiscopos parum religiose imitari, ex hoc maxime apparet: quod illi, cum tam eximijs essent instructi donis, nihil sibi in ecclesia fine aliorum consensu agendum iudicârunt: horum autem nutu, & arbitrio omnia administrantur. Ea enim sibi gerenda violentius arripiunt, quæ omnium ministrorum iudicio committi multo æquius fuisset. Verum si rerum ecclesiasticarum administrationem, omnibus ministris æqualiter assignari velint: illud inprimis præstare debent: vt omnes, qui docendi partes in ecclesia suscipiunt, simili pietate, pari prudentia, & æquali optimarum artium peritia instruantur. Quid enim iniquius, quam vt virtute impares, sint pares potestate? quid indignius, quam vt ecclesia in cuius administratione, vt sæpissime, ita periculosissime erratur, intelligentibus pariter, & imperitis: imbecillioris, iudicij hominibus, & ijs, qui præcellunt prudentia: optimis gubernatoribus, & ijs qui seipsos regere, ac gubernare vix nôrunt, regenda simul committatur? Atheniensem rempub.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

pub. haud iniustè Xenophon reprehendit: quod in ea haud meliori essent conditione viri optimi, quam perditi, & scelerati ciues: & Dei ciuitatem ecclesiam numquis rectè gubernari contendet: cum donis præstantioribus instructi, ad altiorem non perueniunt dignitatis gradum? At vero id disciplinæ genus, hominibus à se afferri dicent: quod neminem improbum, neminem indoctum, neminem dissolutum, aut publici negotij minùs bene gerētem, in ministrorum numero locum habere patietur. Magnificũ quidē promissum, & conatus præclarus: atq; si id quod proponunt, aliquando præstare possunt: fœlix re-vera, & beatum opus. In deligendis enim ministris sapientiores erunt prophetis: sapientiores apostolis: & omnibus, qui in ecclesia huc vsq; extiterunt, longe sapientiores. Sed hoc cum effecerint, haud vnquam tamen illud efficient: vt æquales sint inter se omnes ministri, vel donorum præstantia, vel dignitate vitæ. Hanc enim rerum dispositionem repellit cœlestis prudētia: ad hunc modum dona sua cum hominibus Christus non cōmunicat: & æqualitatem si tota rerum natura non reijceret: at violari postularet ecclesiæ salus. Nã si inter eos, qui in rerũ ecclesiasticarũ procuratione versantur, haud alij alijs superiores haberi possent: quis cōcilia conuocabit? quis ponderatis diligenter omniũ sententijs, ea, quæ videntur optĩma, rata haberi præcipiet? quis iudicabit de ministrorum eruditione, ac diligentia? quis eorum mores, ac vitã inspiciet? quis coercebit delinquentes? quis dissidentes inter se pastores, ac seniores conciliabit? quis infinita deniq; sedabit mala, quæ vbi summa omnium rerum est æqualitas, sæpissime oriuntur? In ministrorum æqualitate salutem ecclesiæ cōtineri dicunt: sed aperte repugnant rationi. Nam si omnes præcipiant: quis de parendo cogitabit: si nullus, quid sit alijs agendum, præscribat: quæ tandem ministrorum inter ministros societas, & coniunctio? quæ communio officiorum? quæ communicatio rerum sacratarum in eccle-

ecclesia reperiri poterit. Quonam pacto, vel in ministrorum æqualitate societas, vel in societate ordo, vel in ordine firmior stabilitas, locũ habebit: cũ nemo sit qui vel præcipere possit, vel parere velit? Nimiam enim sibi authoritatem assumit, qui æquali quid sit agendum præscribit: & qui iniuste præcipienti obtemperat, humilem se plane, & abiectum, & Puritanæ insolentiæ maxime contrarium præbet. Sed istam ego æqualitatem æquiori animo ferrem: si omnes ad gubernandum similiter aptos, & idoneos Iudicarem. Sed multos videmus eruditos, qui inopes sunt prudentiæ. Hos si in authoritate collocamus, furentibus arma in manus tradimus. Sunt qui præclare quid sibi sit agendum perspiciunt: sed nequiter tamen, & flagitiose viuunt. His si ecclesiam regendam committimus, non modo impunitatem sceleri: sed etiam authoritatem largimur. Pietate præstant alij, & optimarum artium intelligentia: qui & arcana fidei mysteria distincte, copiose, atque illuminate explicare: & directam ad gaudia sempiterna viam, alijs commonstrare possunt. Sed tamen, siue natura, siue Iudicio quodam animi, â regendi munere, & officio abhorrent. Hi si ad ecclesiæ gubernacula admissi fuerint: alienam, & sibi parum accommodatam repugnante natura induent personam. Nihil autem, quod prohibente natura fit, recte fieri potest. Haud multi certe sunt, quos gubernandi scientia instructos vere quis dixerit. Vel multitudinem ergo ab ecclesiæ gubernaculis excludi oportet: vel arduum hoc, & difficile inprimis regendi munus multis hominibus necessario committetur: quos ad tantam rem, nec natura peperit: nec disciplina instruxit: nec optimus magister vsus exercuit. Sed noua hæc disciplina, inquiunt, perpoliet nobis homines: & nouo quodam more exornabit. Ex indoctis enim perdoctos, ex improbis repente pios, intelligentes ex temerarijs, & inconsideratis, & ex vnius cuiusdam operis (vt ille ait) remigibus, ac baiulis, gubernatores

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

natores optimos efficiet. Sed hæc cum dicunt, inania optata, pro rationis momentis nobis proponunt. Neque tamen tam laudanda esset eorum disciplina, si omnes ad regendum aptos efficeret: quam seuere iam, & grauiter est improbanda, quod omnibus suis parendi adimat voluntatem. Prudenter certe Theopompus, in eo Spartæ locatur salus: quod parendi, non imperandi rationem ciues didicerunt. Et Zeno qui Stoicorum appellatur princeps, non vt Hesiodus, eum qui singulis in rebus quid sibi sit agendum sagacius perquirit: sed qui aliorum præscriptis modestè obtemperat: optimum, & prudentissimum esse dixit. τῷ μὲν γὰρ εἶναι μόνον τὸ συνεῖναι, τῷ δ' εὖ πεισθέντι προσεῖναι καὶ τὴν πρᾶξιν: in altero (inquit) est nuda intelligentia: in altero intelligentiæ adiuncta actio cernitur. Iniquè facerent reformatores, si omnibus ministris eadem præmia proponi vellent. Sed tutiùs profectò æqualia præmia, quàm æqualem authoritatem omnibus assignare possunt. Ad publicam enim incolumitatem haud multùm interest: siue quis exigua obtineat præmia, siue ampliora: non positæ sunt in eô fortunæ Græciæ: sed eadem omnibus authoritas sine certissima ecclesiæ ruina committi non potest.

Sed ne omnia, quæ sunt infinita, conquiram: id disciplinæ genus in ecclesia potissimùm collocari debet: quod bona, & plurima, & præstantissima producit: & è quo, mala, vel nulla, vel paucissima oriuntur. Tametsi vtrumque horum in hac causa perspicuum esse arbitror: de vtroque tamen dicam. Vt omnem aliam hominum societatem, ita sacrosanctam inprimis communionem fidelium concordia ali, & conseruari: at dissensione distrahi, atque discerpi constat. Iam verò concordia non alia re certiùs defendi potest: quàm cum alij alijs honore, & authoritate præstant: æqualitatem verò esse matrem, & procreatricem contentionis, communis erudi-

torum consensus, pondus rationis, & perpetua experientia certò attestatur. Quid ni ergo rectæ rationi maximè consentaneum videatur: vt singulis in prouincijs, vnus archiepiscopus reliquis episcopis: & in qualibet διοικήσει vnus episcopus alijs ministris honore antecellat? Laudatur à multis Numa Pompilius: quòd cum ciuitatibus illis, quæ iustitiam, innocentiam, & sobriam, atque temperatam viuendi rationem perpetuò approbare vellent: vtilem inprimis esse videret, earum, quæ ad necessarios vitæ vsus spectant, rerum copiam: vniuersam quam Romani incolebant regionem, in certos quosdam pagos distribuit: & suum cuique pago præposuit inspectorem, & magistrum. Quibus villarum præfectis, id commisit muneris: vt obirent diligentèr, & crebrò perlustrarent omnes regionis partes: & quinam agri rectè erant culti, & quinam negligentèr, tabulis describerent, atque ad se deferrent. Is autem industrios agricolas laudibus, & summa comitate excitabat: segniores verò, & sui negotij minùs benè gerentes, obiurgatione, atque mulcta castigatos, ad rura gnauiùs colenda instigabat. Quod si his de causis, haud iniustè laudatur Pompilius: quàm præclaram promeretur laudem eorum sapientia: qui euangelij ministris (sunt enim hi spirituales quidam agricolæ in agro domini: & ad communem omnium salutem inprimis conducit: vt cœlestis verbi sementes diligenter faciant) superiores quosdam siue ἄρχοντας appellemus, siue ἐπισκόπους, siue περιοδικοὺς præesse voluerunt: vt, eorum, qui ad sacratissima accedunt negotia, vita, & mores inspici: eruditio explorari: & fides certò expendi, atque ponderari posset? Neque enim quidquam est, quod à nequitia vehementiùs deterret multorum animos: quàm dum authoritatem non absolutam, sed aliorum potiùs subiectam potestati, ita vt omnium, quæ agunt, rationem necessariò reddere cogan-

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

cogantur, fidei suæ concreditam esse vident. Sed quis vnquam id, quod sanctum est, à ministris expectabit, si nemo inter eos tantam authoritatem habeat, vt peccantes reprimere, ac coercere poßit? In summa autem omnium rerum æqualitate, quis vel iubendi, vel prohibendi ius habebit? & quam demum authoritatem æqualis in hominem sibi æqualem iustè exerceat? Si quis ergo piorum mentes concordia deuinciri: si quis confusionis chaos è dei domo longißimè repelli: si quis ministrorum mores, & vitam inspici, eruditionem expendi, & diligentiam explorari: si quis spurcißimas hæreses radicitùs euelli, & funestas contentionum flammas restingui desiderat: is certè veterem ecclesiæ disciplinam, quam piæ antiquitatis canities, quam tot sacrosancta synodorum decreta, quam tot orbis lumina, quam omnium ecclesiarum consensus, quam firmißima rationum momenta, quam rationis magistra, sanctißima scriptura nobis commendat, constanter approbare: & inuectam â Puritanis disciplinam, vt impurum erroris, & malitiæ fœtum, vt labem omnis ordinis, vt perniciem venustatis, vt charitatis pestem, & vt omnium, quæ in ecclesia habentur sacra, cladem, ac ruinam detestari debet.

Iam verò si qua mala ab episcopis in ecclesiam profecta vnquam fuerint: ea hominum fuisse errata, non vitia ipsorum munerum necessariò fatēdum est. Quòd si vt scelerum contagio ab homine in hominem exire: ita ab hominibus in munera, & officia deriuari poßit: nihil profectò erit in ecclesia sanctum: nihil syncerum: nihil, quod non impuris nequitiæ sordibus polluetur. Verùm ita sese res habet: vt nec hominum flagitia, munerum sanctitati labes aspergant: nec munerum sanctitas, homines â peccatis puros conseruare poßit. Sed concedam, quæ velint: variá mala in ecclesiam ab episcopali ordine pro-

profluxerunt: sed non grauiora (credo) quàm quæ à Puritana æqualitate proficisci solent. Acerbum est, non nego, vnum improbum authoritate armatum in ecclesia perferre: sed acerbius, importunitatem pati multorum improborum. Si quisquam parùm pius dignitate alijs præpositus fuerit: is omnes leges, omnia ecclesiastica iura ad arbitrium suum, ac libidinem eludet: sed grauiùs nocebit omnium rerum æqualitas, in qua omnia licebunt omnibus. Vnius ambitione, scelere, temeritate, ecclesiam grauiter diuexari posse constat: sed cum multi, vt authoritate, ita ambitione, ac scelere pares, sententijs autem dissidentes ad ecclesiam simul gubernandam accedunt: quis non istam æqualitatem, quauis dominatione tetriorem iudicabit? Tyrannum se præstat, non episcopum in ecclesia: qui id, quod omnibus commune esse debet, sibi soli arripit, & assumit: sed cùm nullus præcipit, ne auream æqualitatem violet: cùm nullus obtemperat, ne aliorum dominationem videatur approbare: ordinis expultricem Anarchiam in Christianorum coetus irrupturam, quis negabit? Cuius mali fœditatem si certò intueri cupiatis: proponite vobis ante oculos ingens, & informe monstrum: cui mille sunt capita, quæ infinitos errores pariunt, sed quid virtus postulat, haud vnquam perquirunt: cui mille sunt manus ad violentiam paratæ, sed quod rectum est, ac decorum, ne semel quidem præstant: cui mille sunt pedes in nequitiam percurrentes, sed in virtutis via ne vnum vestigium imprimunt: proponite etiam vobis eum rerum statum, in quo vel omnes imperant, & nulli parent: vel nulli imperant, & omnia licent omnibus: & tum demum hanc, de qua loquor Anarchiam, veram illam quidem, & Germanam reformatricis Disciplinæ prolem, sed haud legitimo tamen connubio genitam vos peruidisse putatote.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Perditæ Reipublicæ, haud certius esse signum dicit

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Plato: quam magistratuum, aut medicorum multitudinem. Ac certè cùm tam multi præsunt, priuatorum opes exhauriri, non improbitatem rescindi: nec defendi virtutem, sed confirmari viuendi licentiam, quæ in huiusce-modi causis apud homines prudentes plurimùm semper valuit, experientia declarat. Annon igitur maximam malorum illuuiem à Puritanis in ecclesiam inferri putemus; cum in singulis parœcijs, plures cõstituũt ecclesiasticos magistratus? Qui quidem si odio forsan acerbiori (quod sæpissime contingit) inter se dissenserint: quid aliud ex eo proficisci poterit: quam quod naui in alto fluitanti, oborta tempestate accidere solet: cum alius portum tenere: alius anchoras iacere: alius vela facere: alius alia præstare contendit? Sed pergunt adhuc, & episcopi (inquiunt) atque Archiepiscopi, si ab officij religione declinârint: eo plus nocebunt, quô plures suæ fidei ecclesias commissas habent. Sed cùm in singulis ecclesijs pastores, & doctores æqualem authoritatem obtinent: cúmque his, ne quid violentiùs gerant, seniores tanquam ephori adiunguntur: tum certè, etiamsi maximè cupiant, haud multũ mali efficere poterunt. Sed profectò haud tantũ mali orietur ab vnius nequitia, si is legum præsertim vinculis constrictus fuerit: quantũ necessario profluet à pluriũ minisstrorũ æqualitate, qui nõ minùs consensione ecclesiã opprimẽt: quàm dissensione discerpent. Deinde non minus tumida erit dominatio in parua domo, quàm in maxima familia: & non minùs crudeles habiti sunt minimarum ciuitatum tyranni: quàm qui amplissimas gentes in potestate sua, ac ditione tenuerũt. Si episcopus vtilitatem potiùs suã, quàm salutem diœcesis quærat: vnius tamen imprudentiam multa subterfugere: & satietati superesse poterunt: sed multorum libidines explere: auaritiam satiare: placare malitiam, atque crudelitatem, est longe difficilius. Ecclesiasticæ disciplinæ vsus eô potissimùm referri debet: vt omnia mala ex Ecclesiæ septis quamprimùm

depel-

depellantur.

Sed si Puritanus pastor, vel errorum venena spargat, vel nequiter, & flagitiosè viuat: quis tandem eum coercebit? Totusne populus? At epotum priùs venenum in omnes eius venas, ac viscera transibit, quàm mali se quidquam degustâsse sentiet; ac errores priùs amabit, & defendet, quàm repudiare discet. Præterea, quis tam imprudens est, qui imperitam plebeculam de fidei controuersijs iudicem admittet? An verò delinquentem pastorem ad officium, doctores, & seniores reuocabunt? quo tandem pacto? si vt superiorem monebunt: timidiùs, & diffidentiùs id facient: si vt æqualem, haud proficient quicquam. At si audire noluerit, eius vitam, ac mores apertè reprehendent: & sparsos errores condemnabunt? faciunt quod viri boni solent: sed maximum hîc contentionis incendium excitant: non excitata depellunt mala. Deinde seniores illi, ac doctores cum pastoribus coniuncti authoritatem habent: sed si ab ijs disiuncti fuerint: debilitatur statim authoritatis robur. Quid ergo facient? opem à vicinis, & auxilium petent? rectè. Sed nullam illi authoritatem, in hominem sibi æqualem exercere possunt. Vnum superest remedium, vt ad synodum prouocent. Sed hîc grauioribus vrgentur incommodis. Quis enim synodum conuocabit? omnes ne? omnes adire, & rogare est nimis molestum. Vnus ne ergo aliquis, aut pauci id præstabunt? Sed quonam iure tantam sibi authoritatem assumant? verum ne misellì seniorculi dolore contabescant: conuocetur synodus: neque id solum, sed vt depellatur confusio: superior aliquis designetur Antistes: vt Romani olim dubijs, ac periculosis Reipub. temporibus dictatorem creabant. Sed quantò rectius hæc potestas, ne tanta vnquam nascerentur mala, perpetuò retineri potuisset. Hic igitur proponet, de quibus disceptaturi sunt: singulorum sententias rogabit, & excipiet: quas si enumerat tantùm, haud

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

haud meliori erunt conditione res ecclesiasticæ: nam maior pars plerunque vincet meliorem: si expendat omnia, & quod optimũ sibi videtur, seligat, nimiam sibi arrogat authoritatem. Atque dum hæc parantur, haud parũ temporis effluet. Improbus interim pastor, docet, ac destruit: flagitiosè viuit, & permultos trahit in scelerum societatẽ. Et quod plures tumultus concitabit: priusquam hæc synodus dissolui poterit, aliæ quidẽ controuersiæ disceptandæ venient. Sed id neque ecclesiæ erit vtile, pastores tã diu â gregibus suis abesse: nec reipub: tutũ, factiosos homines in vnũ locum, tam sæpè conuenire. Sed cum archiepiscopi episcopis, episcopi ministris, authoritate præstãt: eorũque mores, & vitam diligẽtèr inspiciũt: pauciora omninò mala nascentur: & quæ nata sunt, multo facilius depelli possunt.

Sed si in archiepiscopis, inquiunt, & metropolitis, & in alijs, qui in eminentiori sunt positi dignitate, ad ecclesiam rectè gubernandã tantum sit pòderis, & momenti: quîd de rebus tam necessarijs, & salutaribus scriptura vbique silet? quîd inter dona illa, quæ cùm in altum ascendisset Christus, benignissimè hominibus concessit, minimè numerantur? quid apostolus Paulus, cùm omnia, quæ ad ecclesiæ extructionem quouis modo necessaria viderentur, nominatim recenseret: nec archiepiscopi nobis, nec patriarchæ, aut nomen proposuit, aut munus descripsit? Christum quidem, cum ascendisset in sublime: alios apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios autem pastores, & doctores dedisse Paulus dicit. Verum inter hos (vt affirmant nostri reformatores) archiepiscopus, vt inter res plàne cœlestes informis terræ fœtus, etiamsi vehementiùs flagitârit, haud habebit locum. Nam mortem obiẽrunt olim apostoli, nec in apostolico munere quisquam illis successit. Haud diu post apostolos in ecclesia permansit euangelistarum munus. Eximium, at extraordinarium erat prophetarum donum,

num,& vix vllis in ecclesia iam conceditur. Pastores haberi non possunt, quos certis gregibus præpositos non esse constat: & doctores si haberi velint: quid illis, qui in eodem versantur munere, tam longe anteponi cupiunt? Sed quid si hoc loco varia potiùs dona, quæ ad ecclesiæ salutem Christus profudit, quàm distincta munerum, ac officiorum genera comprehendi affirmarem? annon id, tum summorum hominum authoritate, tum (quod pluris facio) certissimis momentis rationum confirmari posset? Qui apostoli olim erant: erant etiam euangelistæ: erant prophetæ: erant doctores: & qui pastores iam in ecclesia haberi solent, munus suum, nisi doceant, tueri non possunt. Dona hæc à Christo fuisse concessa Paulus dicit: sed si quis ex omnibus donis, certa officiorum genera, efformare velit: maior erit munerum, quam hominum in ecclesia numerus: & inanitèr volitabunt multa officia, quæ locum vbi consistant, haud facilè reperiant. Ponamus nobis ante oculos discipulum Christo maximè dilectum Iohannem: quem apostolum fuisse: euangelistam fuisse: vatem, ac prænuncium rerum futurarum fuisse: Matthæus, qui in duodecem apostolorum numero eum comprehendit: sacratissimum illud euangelium, quod vt angelus è cœlis dimissus, ab adorandis potiùs, quam perquirendis mysterijs gloriose exorsus est: & ipsa etiam apocalypsis certissimè attestatur. Intueamur Petrum, & Paulum, ambos apostolos: ambos prophetas: ambos doctores: sed alterum gentium, alterum Iudæorum. De alijs quid loquar apostolis: quorum nullus fuit, qui non summa cum fide, ac religione doctoris munus subiuit? Quod absurdissima dispellit commenta Puritanæ vanitatis. Iam cum pastores designent, quos docere vetant, fustuarium mereri mihi videntur.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Sed reformatoribus non obsistam in ipsis portis: in interiores ædium partes eos admittere nõ metuam: quos

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

facile erit, cùm libet, eijcere, atq; extrudere: obtinebunt, sed precario, quæ nullis vnquam argumentis efficient. Dona illa, quæ recenset Paulus, distincta esse munerum, & officiorum genera cõcedam. Haud video tamen quid ex eo cõcludi posit: nisi tam perfecta gubernationis forma in illis verbis comprehendatur: vt nec adijci quicquã, nec quicquã detrahi, sit vllo modo necessarium. Sed hoc dici nõ posse, testes satis locupletes erunt ipsi reformatores: qui in illis Pauli verbis deesse nonnulla munera, quæ rectius alibi perquiri possunt: & superesse alia, quæ necessarium iam in ecclesia locũ non habent, liberè profitẽtur. Sed labantes in hac causa Puritanos, nouæ huius sectæ columen Cartwrightus defendit: & quarto ad Ephesios, officia tantũ illa describi dicit, quæ versantur in docẽdo: & ex his haud vnum deesse putat. Nam quod ad apostolos, inquit, & euangelistas, & prophetas attinet: etiamsi iam pridem in ecclesia desiẽrunt: fuerunt tamen aliquandò: & quàm diu necessitas postulauit, ecclesiam gubernârunt. Quod quidẽ perpetuam ecclesiasticæ administrationis formam, in eo loco describi ostendit: cùm omnia munera, & officia, quæ vel aliquando: fuerunt: vel iam sunt: vel posthac esse possunt, certò cõprehendantur. Sed si quis ab eo quærat, quonam pacto perfectam immutabilis, & perpetuæ disciplinæ formam ea verba comprehẽdant: quæ munera illa, & officia nobis proponunt, quæ non ita diu in ecclesia permanserunt: respondebit illicò, eam esse diuisionis naturam: vt omnia, quæ olim fuerunt, etiamsi iam nõ sint, rectè complecti posit. Quemadmodum ecclesia (inquit) in eam quæ iam est, & eam, quæ sub lege aliquandò fuit, rectè potest diuidi. Non disquiram, quàm aptè hæc inter se sunt connexa, aut quàm venustè cũ causa cohærent: illud quæram potius, quisnam præter vnum Cartwrightum, ad hunc modũ res diuidendas censuit? Legitima (vt opinor) est diuisio, cùm totũ in partes, genus in formas, subiectum in adiuncta distribuitur. Sed

id quod est, in ea, quæ non sunt, non existunt, non in rerum natura locum habent, distribui, ipsa videtur ratio prohibere. Quonam enim pacto, id quod non est, eorum quæ sunt, naturam participet? Nisi forsan, quæ corrupta sunt viuere: quæ euanuerunt permanere: & omnia esse nihil, ac nihil esse omnia quisquam dicet. Nec Cartwrightum id quicquam adiuuabit, quod quæ iam non sunt, aliquandò extiterunt. Nam si quis homines in eos, qui iam viuunt: & eos, qui aliquandò fuerunt, sed iam mortui sunt, diuideret: perabsurdam esse diuisionem, clamarent (scio) omnia dialecticorum gymnasia.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Verum hunc Cartwrighto errorem facilè remittam. Non enim tam iudicio, quam morbo quodam animi, in opiniones vbiq; receptas plerunque videtur inuehi. Ita namq; est à natura cõparatus, vt quæ probãtur alijs, nullo modo probare posſit. Hanc ob causam in agresti illa, & prorsus impolita epistola, quam famelicæ, & ieiunæ Fenneri dichotomiæ præfixit: in omnium grammaticorum contemptum solœcismos spargit. Hoc in loco nõ dialecticorum solum, sed ipsius rationis vocem contemnit. Sed ignoscite leuioribus: grauiora perpetrauit. Non minus licebit Grammaticorum, & dialecticorum regulas spernere: quam sanctiſsimas ecclesiæ præscriptiones violare. Verum hanc (vt dixi) Cartwrighti, siue imprudentiam, siue importunitatem, & audaciam silentio facilè præterire potuissem: si non errorem perabsurdum illum quidem, sed in scholis potiùs, quam vbi æterna animarum salus agitur, periculosum, appositione exempli, quod vniuersa conuellit theologiæ fundamenta, confirmare laborâsset. Ecclesiam enim in eam, quæ sub lege fuit: & in eam quæ iam est, rectè diuidi posse existimat. Sed quî tandẽ hæc diuisio admittatur: si vna sit dei ecclesia, quæ inter veteres primò patriarchas, & in eorum familijs extitit: quæ deinde inter Abrahami posteros ad certum, ac præfinitum tempus sub lege permansit: & quæ iam

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

in omnibus terris cum nequitia confligit, & colluctatur. Semper mihi persuasi, vnam esse castam, ac incorruptam religionem: vnam esse doctrinam salutis: vnum esse dei fœdus: vnam fidem: vnum Christum: vnam, & vnicam Christi ecclesiam, statu interdum permutatam: sed vnam reipsa: externis adiunctis nonnunquam discrepantem: sed eandem natura, quæ omnium fidelium mater iure habeatur. Veteres enim illi Patriarchæ, & omnes, qui vnquã fuêre pij, Christiani extiterunt: & nunc qui nõ sunt christiani, haud vllo modo pij, ac religiosi esse possunt. In Christum illi venturum crediderunt: nos in Christum, qui venit, constanter credimus. Tempora si mutentur, erit vna fides: & adiunctis quibusdam variatis, erit vna ecclesia. Quemadmodum igitur liberata seruitute ancilla, etiamsi domino suo nubat, haud alia erit fœmina, quam quæ prius seruiuit: atque vt hæredes, cum ad plenam bonorum possessionem admissi fuerint, ijdem sunt reipsa, qui tutoribus, ac pædagogis antea paruerunt: ita non alia iam est Christi ecclesia, quàm quæ olim, vt tenella infans (si ita loqui liceat) in cunis vagijt: quàm quæ infirmis primò membris, incertum gressum tentauit: quàm quæ sub duris pædagogis custodita mansit: quàm quæ seruitute oppressa, libertatis authorem Christum videre vehementèr exoptauit. Quamuis autem Agar, Saræ: ancilla, dominæ: mons Sinæ, fidelium matri Hierosolymæ opponi interdum videatur: in externis tamen adiunctis, ea sita est differentia, non in naturis rerum. Christus certè eiecit ancillam, & filium eius, hoc est statum seruilem: sed eam, quæ serua prius fuerat, sibi desponḋit. Christus fidelem sibi populum inter gentes collegit: eumque in sanctam cum Iudæis admisit societatem: & ex duobus quasi parietibus vnum ædificium construxit: & ex naturis maximè discrepantibus vnum (vt ita loquar) ouile effecit. Ex his patet improbè, & absurdè

cos

eos facere, qui ecclesiam in eam, quæ sub lege olim fuerat: & in eam quæ iam est, diuidunt. Vna enim est (vt dixi) Christi Ecclesia, quæ sub mundi elementis in seruitutem aliquando redacta fuerat: & quæ iam spiritu, ac veritate Deum vbique colit.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Verùm ad munus meum interesse arbitror, non tam pugnare cum reformatoribus: quàm quid ipsa sentiam aperire. Mea igitur est sententia, quòd episcopi, & archiepiscopi, vt certas, & definitas habent sedes, in quibus potissimum versari debent: in pastorum iustissimè reponantur numero: sed vt alijs ministris authoritate præstant: haùd video quid non muneris Apostolici pars, illis rectè committi statuatur. Quamuis enim multa, vt eximia, ita etiam extraordinaria in Apostolis fuerant, quæ nascentium rerum primordijs, quam alijs ætatibus aptiora iudicentur: dispares tamen hi, de quibus loquor, authoritatis, & honoris gradus, tam probantur ab ipsa natura: rationi tam mirificè consentiunt: & ordinem, atque venustatem tam præclarè tuentur, & conseruant: vt sine certissima ecclesiæ clade, ac ruina haud vnquàm violari possint. Sed quonam pacto Apostolis archiepiscopi succedunt, paulò copiosiùs explicandum videtur. Ita enim quam inania rationis sunt illa argumenta, quæ ad minuendam nostram sententiam adhibentur, perspicuè apparebit. Sanctissimos igitur Herôas, qui sempiternæ veritatis lumen terrarum orbi prætulerunt, eo omnes curas retulisse video: vt rectè, ac prudenter ecclesias constituere, & constitutas gubernare possent. Quæ vt præstarent, dona quidem præclara, & ad res tantas fœliciter perficiendas maximè necessaria, cœlesti benignitate acceperunt. Tam admirabili enim rerum diuinarum intelligentia instructi fuerant: vt ne vlla in re à vero aberrare possent: & in rebus agendis tam singulari præstabant prudentia: vt quid summa ratio exigeret: quid decorum postularet: quid potissimum rescinderet vitiorum ner-

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

uos: & quanam via, errantes hominum animi in virtutis gyrum perducerentur, optimè peruiderent. His illi donis ornati, sempiternas veritatis præscriptiones, ac normas, literarum comprehensas monimentis Ecclesiæ reliquerunt: & quam maxime gubernationis formam obseruari oporteret, exemplo suo declarârunt. Quam ob causam, vt præscriptæ ab Apostolis doctrinæ constanter adhærere: ita eam quam approbârunt, quamque temporibus nostris conuenire experientia demonstrat, disciplinam perpetuo amplecti debemus. Cum enim Ecclesiam vt perpetuo doceri, ita etiã gubernari oporteat: cũq; melior gubernãdi ratio inueniri nõ possit, quã quæ ab Apostolis obseruata primo, tum christiano orbi commendata fuerat: quid tandem mei filij officio nostro conuenientius videatur: quam Apostolos in hac parte quantum licet, quantumque possumus imitari?

Sed cum nec semel fundata, sæpius fundari, nec perfecte extructa (quod mirabili prudentia Beza perspexit, & tanquam magnum mysterium nobis indicauit) rursus extrui vlla ratio postulet: hac mouemur causa, vt Ecclesiarum quæ prius sunt fundatæ, haud alia rursus fundamenta poni: sed ad sacram hanc structuram recte absoluendã, & fœliciter etiam conseruandam, tum idoneos lapides comparari: tum prudentem rerum administrationem adhiberi necessariũ putemus. Atq; vt persistamus in hac cõparatione, ad quam Bezæ importunitas nos pertraxit: quẽ admodũ in terrenis ædificijs, cæmentarijs, latomis, lapicîdis, & alijs huius sortis opificibus architecti quidam & totius operis quasi præsides, & præfecti, quid sit agendum præscribunt: ita in spirititualí hac structura, si non summi quidam designentur Architecti, qui hominum ad hoc opus accedentium peritiam primo explorent: tum illis quos admittunt, certas quasi stationes assignent: deinde eorum mores, diligentiam, ac fidem inspiciant, nihil vnquam ad fœlicem exitum perducetur. Cum extruitur ædificium (inquit Beza) frustra archi-

chitecti

tecti requiruntur. O disputatorem perquam subtilem: ô aduersarium semper metuendum: sed quid tum postea? ergone inanis existimetur eorum industria, qui omni cura in id incumbunt, vt homines pij tanquam viui lapides in Dei domo collocentur? Minime inquit: sed integra spiritualis huius ædificij forma cœlesti verbo præscribitur. Vt admittamus id esse verum: constituendos tamen esse superiores quosdam architectos, qui expendant accuratè, quàm fideliter singula ad præscriptam formam dirigantur, semper contendemus. Salutaris doctrinæ summam, communia ecclesiasticæ administrationis principia, & regulas quasdam perpetuò obseruandas in scriptura cóprehendi nunquam negabimus: sed haud designandos esse in ecclesia quosdā præfectos, qui quid a singulis docetur diligenter explorent: haud inspiciendos esse a superiori potestate docentium mores: haud coercendam esse eorum nequitiam, qui disciplinæ sanctitatem omnibus modis violare student, ne angelus quidem cœlestis, multo minus Beza, qui & mortalis est natus, & ex mortali germine, nobis vnquam persuadebit. Cum ergo apostolis diuino afflatu, instinctuq; motis nihil priùs fuit, aut antiquiùs, quam vt ecclesias primò cóstituerent, tum prudenter regerent, & gubernarent: cumq; rectè semel constituta haud rursus constitui, sed perpetuò gubernari oporteat: nihil quidem prohibet quin archiepiscopi vt summi sacrorum antistites ecclesias regant: eaq; ratione apostolis dicantur succedere.

Archiepiscoporum, patriarcharum, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Verum duplicem fuisse video apostolorum potestatē. Nam vt in omnes ecclesias authoritatē habebāt: ita quisq; eorū loca illa, in quibus potissimū versabatur, potestate regebat speciali. Ac latior illa, & amplior potestas, apostolica vsitatè dicitur: sed posterior hæc episcopalis a quibusdā haud ineptè appellari solet. Sic Iacobus, & Iohannes, etiamsi non minorem quā alij apostoli authoritatē haberent: eorū tamē alter collocatas in Iudæa ecclesias

regebat

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

regebat, alter Asianas. Iam verò Archiepiscopos Apostolis, non vt in omnes ecclesias authoritatem habebant, sed vt peculiari modo particulares gubernabant cœtus, successisse dicimus. Ex his manifestò apparet, quam absurda sit illa Bezæ ratio, quæ vel nullos Apostolis succedere, vel eos, qui succedunt, parem cum Apostolis authoritatem habere concludit. Nemo (fateor) illis est instructus donis, quæ ad ecclesias primò conserendas benignissime Christus concessit: & nemo in tam ampla est constitutus authoritate, vt Apostolico iure omnes orbis ecclesias regere, ac gubernare possit. Sed vt Apostolis tam augusta fuit commissa authoritas, vt omnibus in orbe ecclesijs præsiderent: ita certas quasdam, & particulares ecclesias peculiari modo gubernabant. Atque vt cùm gentem aliquam ad pietatem informâssent: ministros oppidatim designabant, quibus non aliter quam patres suis filijs solebant præsidere: ita cum in alia emigrarent loca, spectatæ pietatis viros in singulis prouincijs relinquebant: qui ea, quã in archiepiscopis iam cernimus, authoritate homines ad fidem nuper conuersos regebant. Neque verò succedendi ius, quod minùs prudenter Beza existimauit, id quicquam impediet: quod Apostolis archiepiscopi nec donorum præstantia comparentur: nec tam amplam in omnes ecclesias authoritatem exerceant. Permultos enim eorum successores haberi videmus, quibus nec consilio, nec dignitate, nec opibus, nec ditionum magnitudine, nec potentia rectè adæquari possunt.

Argumẽta verò, quæ ad refutandam hanc sententiam à reformatoribus adhibentur, tam inania sunt ponderis, & tam vacua ab omni ratione: vt si minùs nostro robore, aduersariorum tamen imbecillitate haud difficile videatur hanc causam tueri. Apostolos (dicunt) diuinitùs fuisse designatos, non electos ab hominibus facilè patior, & concedo: sed quid tum postea? Qui ergo consecrantur ab hominibus, Apostolicum munus obire non possunt. Argumen-

gumentum ex intimo quidem artificio depromptum: cui perquam simile adiungunt aliud. Apostolorum (inquiunt) munus, non exiguis erat inclusum locorũ spacijs: sed eisdem, quibus solis cursus finibus terminabatur. Ex quo inferunt, quod qui certis prouincijs, aut ciuitatibus alligati manent, haud succedunt apostolis. Quid reformatores de his rationibus iudicant, nescio: mihi verò ne leuissimam rationis vmbram videntur continere. Perspicuum enim illud est, & inter omnes certò constat, quòd diuersus eligendi modus, diuersum munus haud necessariò constituit. Quod infinitis propè exemplis, si non ad alia festinaret oratio, demonstrari posset. At vero cœlestem illam sine hominum ministerio designationem ad apostolici muneris naturam requiri dicunt. Quî probant? Quia primò ad Galatas apostolus, se non ab hominibus, neq; per homines, sed per Iesum Christum electum fuisse scribit. Sed quid hoc est aliud, quam abuti patientia hominum? Paulus vt summis apostolis se omni modo parem ostendat: non se ab hominibus institutum esse: non ab hominibus euangelium didicisse: non cum carne, & sanguine contulisse affirmat. Num ergo omnes eos qui designati erant ab hominibus, ex apostolorum albo excludit? Id si ita sit, quid Epaphroditum Philippensium apostolum appellat? Quid Andronicum, & Iunium insignes in apostolis fuisse dicit? At apostolos certis in prouincijs, atq; ciuitatibus non permansisse cõtendũt. Expũgatur igitur è numero apostolorũ Hierosolymæ episcopus Iacobus, quod ex Iudææ finibus haud abscessit. Postremo cum Paulus affirmet, datos fuisse apostolos, ad condendos sanctos, ad operis ministerium, ad Christi corporis extructionem, donec perueniamus omnes ad vnitatem fidei, cognitionisque filij dei: apostolicum munus, donec hæc omnia fieri possint, in ecclesia permansurum esse aperte docet.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Archiepiscoporum, patriarcharũ, metropolitanorum, nec nomina sunt inflata: nec munera antichristiana.

Rursus nos in certamen Beza prouocat. Andronicum enim, & Iunium insignes in apostolis fuisse dicit, quod summo in honore apud apostolos habebantur. Liberè loquare Beza quodcunque libet: sed si quispiam alius haud habendos esse apostolos dixisset, qui insignes erant in apostolis: vim ipsis verbis afferre, eaque à vero, & germano sensu detorquere videretur. Iam si vera sint, quæ de apostolo Philippensium Epaphrodito loqueris: vix quidquam inter eum, & communem quemuis tabellarium interfuit. Manere adhuc apostolos dicis, quod ex eorum scriptis vera tum doctrinæ, tum ecclesiasticæ administrationis forma desumi possit. Sed hac ratione, vt apostoli, ita antiqui patres, & sanctissimi prophetæ, & omnes etiam qui prudentiæ suæ, ac eruditionis monumenta terrarum orbi commendârunt, dicamus adhuc in terris manere. Quod vtinam vere diceretur. Sic enim facilè eijceretur è rebus humanis Geneuensis disciplina, quæ tam varios vbique tumultus concitat. Narras deinde, idque satis copiose (sed quis tandem mortalium hoc ignorauit) quonam pacto dei domus perfectè: & quanam ratione imperfectè extructa statuatur. Fides (inquis) perfecta est in concreto, non in abstracto. Inculta prorsus, & impolita verba: sed solertem in dialecticis te haberi cupis. At texis deinde etiamsi non elegantiora, aliquanto tamen magis perspicua. Domus dei siue doctrinam spectemus, siue administrationem, perfectè, & absolutè descripta est per apostolos: sin vero homines consideremus quatenus se ædificari patiuntur: ædificatio illorum est in continuo motu. Mallem ego Bezam amicum nobis, quam aduersarium videri. Dimittam ergo, cum eorum quæ defendenda suscepit oblitus, causam nostram amicè confirmet. Nam cum ipsorum hominum extructionem omni tempore necessariam esse

esse contendat: cumq; apostolos Paulus non solum ad scripturas literarum monimentis consignandas: sed ad cōdendos etiā homines sanctos, cœlesti benignitate fuisse concessos affirmet: apostolicam authoritatem perpetuo in terris esse permansuram manifesto patet.

HIc inconsideratæ cuiusdam leuitatis, nonnulli fortassis me condemnabunt: quòd cùm de luctuosa virtutū clade, ac ruina conqueri mihi susceperim: ad concertationes molestas, & plane litigiosas, intempestiue descendā. Sed istos ego homines si non implacabiles sint aduersarij, æquiores in hac causa futuros puto: si ab initio huius querimoniæ propositum mihi fuisse dicam: spurcissimas horum temporū labes, & corruptelas, vt lachrymis, ita disputationibus, nec minus argumentis, quam votis, & optatis oppugnare. Sed omittantur iam argumenta: accuratas disputationes ea ipsa, quam aggredior, causa non requirit: deploranda mihi occurrunt, dura, acerba, tristia, calamitosa, quæ vt subtiles illas, ac limatas disserendi rationes non admittunt: sic elegantiorem respuunt orationis ornatum. Quamuis autem in toto hoc opere, doloris potiùs, quam ingenij: querelæ, quam eloquētiæ: pietatis, quam enucleatæ disputationis me partes suscepisse, iure optimo profiteri possim: sic mentem tamen occupauit rerum earū, de quibus iam dictura sum, odiosa facies: & omnes meos sic affecit sensus: vt nihil à me in hac causa, præter suspiria, gemitus, & voces quasdam imperfectas, quas acerbior expressit animi ægritudo, expectari vellem. *In sacrilegos direptores.*

Refutaui vt audistis, quæ pro ministrorum æqualitate afferri solent. Sed grauius adhuc, & periculosius restat certamen: & noui exoriuntur hostes, quos nec rationibus repellere: nec querelis mitigare possum. His enim (de quibus tam multa dixi) reformatoribus, aliud se adiungit reformatorum genus: quod religionis præstantiam

In sacrilegos direptores.

in fœda cupiditate, in auaritia syncerum pietatis studiū, innocentiam in libidine,& in rerum sacratarum sacrilega direptione,optimam, & sanctißimam Ecclesiæ reformationem contineri putat. Hi homines,si modo homines sint habendi,ac non potius immanes feræ,quæ sub humana specie, ac figura,impuram quandam, & hominis præstantia indignam fœditatem occultant: hi (inquam)siue homines sint: siue alio nomine rectius appellentur:de archiepiscopi, & patriarchæ nomine, de Episcoporum authoritate haud multum contendunt: & siue dispar inter ministros appobetur dignitas:siue in vno omnes collocētur authoritatis gradu: ad id quod proponunt haud multum interesse putant. Verum quod hominibus qui sacris sunt deuoti, predia, fundi,agri, decimæ, aliæque multæ parandarum opum rationes, tam liberaliter offerri solent: quod qui æterna bona, non fugaces opes consectari debent, nimia diuitiarum copia circumfluunt: id certè omnium malorum,quæ in Ecclesia vidimus(quid autem mali non vidimus?)semē,& causam esse Iudicāt. Vt omnium igitur vitiorum alimenta ex Ecclesia facilius dimoueant, ecclesiasticas opes diripiunt: præmia virtutis, auaritiæ prædam constituunt: patrimonia pauperum in priuatos vsus scelerate transferunt:& ne sacrosanctæ religionis interpretes diuitiarum affluentia corrumpi,& deprauari videant, omnem in se solos nequitiam,miræ, & inauditæ charitatis homines transfundi patientur.

Qua in re si id quod faciunt, vt iustum, & pium probari velint:vel sacrilegium haud rem esse improbam, & cœlesti lege non condemnari:vel in rerum ecclesiasticarum direptione, nullum omnino sacrilegium contineri, necesse est vt dicant. Si grauiter olim sacrilegium a iustißimo numine vindicatum fuisse: sed nihil iam sceleris in eo contineri affirmabunt: nouarum quidem mutationū authores haud immerito existimari poßint. Sic enim in virtutes peccata verti: sic Orcus in cœli naturā abire:

sic præpotens illud, & adorandum numen, vt humanæ infirmitatis soboles, voluntate, ac iudicio nonnunquam mutari videatur. Quod si in his direptionibus nullum inesse sacrilegium contendent: non minùs rationi repugnabunt, quā sanctitati religionis. Nā si sacrilegiū in se admittant, qui res sanctissimæ religioni cōsecratas, in profanos vsus diuertunt: hos (de quibus iam loquor) reformatores, in sacrilegorum numero iustissimè reponi, non est quod certiora quæramus argumenta. Nam qui dimotum contendunt sacri, & profani discrimen, ita vt sacrilegium à nemine iam committi posit, turbulentam certè, & impuram, & ab ordinis venustate maximè seiunctam, in orbem inferunt rerum omnium commixtionem. Id enim si verum videretur, vel omnes sacrorum procurationi, vel nulli rectè consecrari possent: & ijs etiā qui sanctissimis negotijs se penitùs deuouerunt, ad profana cum vellent, liceret regredi. Bion (vt arbitror) Boristhenites, tum omnes esse sacrilegos, tum nullum esse sacrilegium, ad hunc modū conclusit. Quisquis (inquit) id quod deorum est sustulit, & consumpsit, & in vsum suum conuertit, sacrilegus est: omnia autem deorum sunt: quod quisque ergo tollit: deorum tollit, quorū omnia sūt. Ergo quisquis tollit aliquid, sacrilegus est. Deinde nullum esse sacrilegium probat, quia quicquid tollitur ex eo loco qui deorum est, in eum trāsfertur locum, qui deorū est. Huiuscemodi rationibus nostri reformatores vti non possunt. Haud vllam enim defensionis speciem causa tam misera, & perdita admittit. Sed si alterutra harum veritati consentanea videretur: haud deesset illis perfugium, quo se præclare defenderent. Nam si omnes sint sacrilegi, peccantium multitudo peccati turpitudinem excusabit: & haud quisquàm id in altero puniendum putabit, cuius perpetuam sibi licentiam, & impunitatem optat. Quod si nullum sit sacrilegium, de eo quod non est, haud iuste quispiam condemnari

In sacrilegos direptores.

In sacrilegos direptores.

ri poteſt. Sed rationibus parum firmis Boriſthenites ille vtitur. Nec defendi ſacrilegium: nec excuſari poteſt. Tenentur vndique laqueis quibuſdam noui reformatores: non profana, ſed ſacrata diripiunt: non tam in homines peccant: quã in præpotentem illum omnium rerum gubernatorem Deum: cum conſtituta pietati præmia auferunt, clanculum, & cuniculis quibuſdam oppugnant pietatem: nec terrena tantum inuadunt miniſtrorum commoda: ſed religionem etiam violant, qua ſola, caduca, & mortalis natura cum præpotenti illo, & beato numine coniungi mihi videtur. Quanquam ſi quod verum eſt fateri oporteat, in his direptionibus non ſimplex ſacrilegium, ſed omnium potius ſcelerum, & flagitiorum cumulum contineri affirmemus. Eſt enim maxima iniuſtitia, quod in alienas opes tam auide inuadunt: eſt incredibilis malitia, quod eruditioni, & virtuti præmia proponi non permittunt: eſt barbara, & immanis feritas, quod animorum ſuorum parentibus, quos humano, diuinoque iure alere debuiſſent, neceſſaria vitæ alimenta ſubtrahunt, & ne multa, eſt ſpurciſſimũ ſacrilegiũ, quod pijs vſibus bona conſecrata, auaritiæ prædam, irritamentum libidini, & alimentum omni ſceleri, ac nequitiæ conſtituunt. Haud vnum certe horum criminum eſt, quod non homines cœlo, terræque inuiſos reddet: ſed cum omnia ſimul cõmixta fuerint, hos (de quibus iam conqueror) producunt Puritanos. Sed cum in primo ad reformationem aditu, & in ipſo quaſi veſtibulo tam multa ſimul flagitia conuoluant: quam nefarios in alijs, & ſceleratos ſe præſtabunt? & cum primos actus tam impura ſcelerum fœditate inquinari conſtet: quám calamitoſam cataſtrophen iuſte expectemus?

Quod ſi vt ex falſis vera interdum concludi, ſic bona ex malis deriuari poſſent: nonnullas fortaſsis vtilitates, hic ex tantis ſceleribus conflatus reformandi modus rebus noſtris afferret. Verum profligati videatur iudicij

qui

qui scelere scelus depelli existimat: haud vnquam Ecclesiæ prodesse poterunt, quorum vis, & virtus omnis in nequitia consistit: & quonam prorumpet ea reformatio, quæ sacrilegis direptionibus maxime nititur, coniectura quiuis facile auguretur. At in magnam nequitiam prolapsos esse dicent ministrorum mores. Vtinam id vel non vere diceretur: vel salutare tanto malo remedium adhiberi posset. Sed si sacerdotum peccata totius ordinis vel ruina, vel miseria, ac egestate coerceri velint: excedet certe medicina modum, & mala ipsis morbis funestiora inferet. Ex ecclesia (vt dicunt) omnium vitiorum alimenta eijcient. Præclarum quidē, & vere laudandum opus, si non simul cum vitijs eijciant præmia virtutum. Plurimum eos probabo, si res corruptas, ac inquinatas libere abscindant: semper tamen ab illis petam, ne ferrum adhibeant ad partes integras. Maximas vtilitates mihi afferant, si noxios, & inutiles mihi humores expurgent: verum si perfecte hoc præstare cupiunt, cum morbis, non cum rerum naturis: cum corruptelis, non cum causis ipsius sanitatis concertare debent: & luxuriæ alimenta tum demum recte adimant, cum sceleribus, quæ oriuntur ex indigentia, locum non relinquunt.

In sacrilegos direptores.

Quod autem ad ecclesiæ salutem hoc inprimis pertinere dicunt, vt opes ecclesiasticæ in alios vsus transferantur: in eo quidem causam suam agunt: non vllam afferunt vtilitatem ecclesiæ. Hoc enim pacto, non tam improbos, quam pios, & eruditos rerum diuinarū interpretes: aut ipsum potius interpretandi munus ex ecclesia tollent. Nam quis magni ingenij vir, ad id vnquam munus accedet: cui nihil nisi ignominiam proponi perspicit? hoc profecto est carnificinam, non medicinam adhibere: hæc reformandi ratio non vitia propulsabit: sed inferet cladē virtuti. Sic flammæ incendijs extingui: sic ædificiorum vetustas ruinis tolli: sic leuior humorum

intem-

In sacrilegos direptores

intemperies, totius corporis tabe, ac peste deleri solet. Sed vt in alijs omnibus ab innocentia,& sãctitate, ita in hoc ab ea, quam in plerisq; rebus adhibent solertia, se maxime alienos esse ostendunt. Ardenti enim dilatandæ pietatis studio se flagrare dicunt,& omni tamen contentione in id incumbunt, vt pietas vel a nullis, vel a paucissimis cognoscatur. Nam cum diripiendas censent ecclesiæ opes: annon dedita opera id agunt, vt agitati varijs incommodis cœlestis verbi ministri, a sacrorum administratione abscedãt? Quod si efficere poterunt, sempiterna erit nox offusa Christiano orbi: ignari viæ homines in tenebris ruent:& cuiq; quod sibi visum erit, licebit præstare. Nemo erit qui salutarem dei voluntatem hominibus declarabit: nemo pro humani generis incolumitate precum sacrificia offeret: nemo dissipabit errores: nemo vel afflictos consolabitur, vel contumaces reprehendet. Æquum esse existimo, vt non minus iam honoris Christiani, euangelij ministris deferant: quam sacerdotibus gentiles olim detulerunt. Sed omnes gentes, quæ numen aliquod, aut vim diuinam rebus humanis præsidere iudicãrunt, summos semper homines ad sacra peragenda delegerunt: eosq; amplissimis beneficijs, & honoribus adornãrũt. Verebantur enim plurimum, ne ea quæ vim habet necessitatis inopia faceret, vt sacerdotũ non modo manus labe vilissimarum rerum fœdarentur: verum animi quoq; tum cogitandis, tum etiam patrandis sceleribus inquinarentur. Quod si omnium gentium consensus, pro sacrosancta naturæ voce, ac lege accipi debet: tũ dignos esse maximis honoribus, qui in sacris rite procurandis versantur, ipsa nobis natura commonstrare videatur. Iudæi non tantum naturæ impulsu agebantur: sed legem diuinitus præscriptam habebant. Quas ergo præscriptiones de sacerdotum honoribus lex diuinitus patefacta cõprehendit: eas sanctas, eas cœlestes, eas plane diuinas esse cõstat. Sacerdotibus autẽ apud Iudæos, nihil

eorum

eorũ defuisse, quæ vel ad necessarios vitæ vsus, vel ad delicatiorem lautitiam, & elegantiorem ornatum spectare viderentur, & Philo testatur, & scriptura indicat. Quare si diuinam voluntatem, tanquam certissimam omnium actionum regulam semper intueri oportet: quid non consimilis honos euangelij ministris tribuatur? Natura quæ gentiles direxit, est grauiter corrupta, & inquinata: sed non (opinor) vt cum lege dei consentit. Permulta iam sunt antiquata, quæ lex Mosis comprehendebat: sed nõ ea quæ perpetuò retineri ratio præcipit. Quid autem rationi conuenientius, quam vt salutis administratio nõ minori in honore habeatur, quam administratio mortis? Cum ergo natura barbaris: ratio hominibus ad humanitatem informatis: & diuinæ voluntatis patefactio Iudæis persuaserit, præstantissimum esse eorum munus, qui fœlicitatis viam alijs commonstrare solent: tum qui donatas ecclesiæ opes, & præmia sanctissimis vsibus consecrata in rem suam conuertunt: impie cum deo: furiose cum ratione: & vt monstra, ac portenta certissima cum ipsa natura dimicare videantur.

In sacrilegos direptores.

Iustum esse affirmat Paulus, vt qui vineam conserunt, de fructu edant: vt qui gregem pascunt, vescantur lacte: vt qui diuina seminant, humana metant: vt qui procurãt sacra, sacris fruantur: vt qui aræ seruiunt, sint participes aræ: vt qui promulgant euangelium, viuant euangelio. Quinetiam monet eos, qui doctrina erudiuntur: vt cum ijs a quibus instituti sunt, bona omnia communicent. Quod veteres Christiani, primis illis, & optimis temporibus libenter præstiterunt. Fœlicem enim putabant mercium permutationẽ: cum cœlestia terrenis: diuina humanis: fugacibus æterna: & corporeæ, atq; brutæ molis alimentis vera, & salutaria animorum pabula coemũtur. Episcopi autem, & alij diuinæ voluntatis internũcij, cum hominum potius animas, quã diuitias perquirerent: & ecclesiasticarũ opum dispensatores, non dominos

In sacrilegos direptores.

se esse iudicaret: omnia quæ piorum liberalitate conces-sa sibi fuerant:ad commune referebant ecclesiæ bonum.

Illud etiam direptricis huius reformationis fœditatē certissime conuincit: quod nisi rectius videantur meriti de Christiana pietate, alieni, quam domestici: importuni hostes, quam fidelissimi amici, à nemine vnquam defendi possit. Nam si grauissima importârunt in ecclesiam detrimenta, qui affluentiorem rerum copiam ministris concesserunt: quîd non ab illis qui oppugnârunt defensam: ab his qui defenderunt, euersam dicamus religionem. Sed quis de scelere condemnabit præstantissimos imperatores, quod vt religioni Christianæ maximos honores, ita amplissima præmia religionis interpretibus, olim consecrârunt? Quis eos qui pietatem defenderunt, nequitiam aluisse dicet? fierine potest, vt eisdem actionibus augeatur sanctitas, & confirmetur scelus? Inuexeruntne errores, qui maximis beneficijs ornârunt testes veritatis? Amplificatum ab illis credamus regnum Satanæ, qui Iesum Christum, pie, & religiose coluerunt? & Christi ecclesiæ gentiles, quam Christianos: funestissimos hostes, quam defensores fortissimos, maiores vtilitates attulisse existimemus? Laudibus igitur inprimis efferatur Christianæ pietatis oppugnator Decius: quod in ecclesiæ diuitias audacter inuasit. Sed nimis te constantem præbuisti, optime Laurenti: quod craticula torreri potius voluisti: quam sacratas opes sacrilegorum libidini permittere. De virtute Diocletiani nulla vnquam ætas conticescat: quod episcopos, & sacerdotes omnibus bonis spoliauit. Sed te ecclesiæ hostem dicamus, magne Constantine: permulta enim, si vera dicant reformatores, in ecclesiam mala inuexisti. Non minus religiose, quam reformatores nostri, de reformanda ecclesia Iulianus cogitauit: cum concessàs à Constantino opes diripuit. Sed Iouinianos, Theodosios, & Valentinianos

tinianos quod quæ abrepta erant per Iulianum restitui curârunt: improbos, & sceleratos, & multorum malorum authores iudicemus. Nam si externa bona, a Constãtinis, & Theodosijs pijs vsibus recte consecrata fuerant: haud recte a reformatoribus possunt diripi: sed si in profanos vsus recte conferantur: quîd non Decium, & Diocletianum, quîd non vtroq; nequiorem Iulianum apostatam scelere liberemus? Iulianus ille cum Christianorum bona diriperet: effrænatæ violentiæ insignem impudentiam: & acerbissimas contumelias spurcissimis sacrilegijs sæpissime adiunxit. In Christianos enim, si quando de illatis sibi iniurijs querebantur, huiusmodi oratione, eum fuisse vsum accepimus. Galilæus ille vester Christus pauper erat, & omnium rerum inops: & Christo esse persimiles oportet Christianos. Christus, beatos esse pauperes prædicauit: qui Christianorum ergo bona auferet, is eos efficiet beatiores. Et quid aliud reformatores dicunt? quam aliam nequitiæ suæ rationem afferunt: nisi quod euangelij prædicatores Christo simillimos esse oporteat? En cuius vestigijs, reformatores insistunt: en cui omni modo se persimiles ostendunt: quis non eos ab eodem spiritu excitatos putabit: qui vt factis, ita oratione tam suauiter conspirant? Sed cum consiliorum suorum authore Iuliano libere se oblectent. Ego certe plurimum glorior: vereq;(vt existimo) gloriari licet: quod impij, sacrilegi, oppugnatores pietatis, & desertores fidei, concessas mihi opes semper inuiderunt. Bonum enim id esse necesse est, quod improbatur a malis. Non minor mihi videtur gloria, cum improbis confligere: quam probari a pijs. Haud minus lætor Decium mihi hostem extetisse: quam Constantinum amicum: & a Iuliano oppugnari: ac defendi a Theodosio in pari laude ponendum censeo. *In sacrilegos direptores.*

Satis manifesto, vt opinor, reformatorum nequitiam id conuincit: quod non alios quam homines

 ex

In sacrilegos direptores. ex omnium scelerum colluuione concretos direptionum authores habent. Atqui vero, si non proiecti essent in omnem impudentiam, res tam aperte flagitiosas nunquam defenderent: & mihi iam ad alia liceret transire. Sed à delicijs suis Iuliano non ita diuelli possunt: hunc ex omnibus maxime, tanquam certissimum pietatis exemplar, ad imitandum sibi proponunt: huius non modo facta intuentur, sed verba etiam crebro, & libenter vsurpant: & quibus verbis nefarius pietatis hostis sua repetentes Christianos olim illusit: eisdem viam sibi ad sacrilegium communire solent. Vt noui enim Iuliani de Christi paupertate multa narrant: & euangelij ministris hoc inprimis conuenire dicunt: vt in omnibus se Christo simillimos declarent. Solent etiam sæpenumero apostolorum exempla ante oculos nobis proponere: quos nec possedisse magnas opes: nec muneri suo necessarias putâsse affirmant.

Nos autem Christum Iesum, vel quod suorum animos coelestium, non terrenorum amore inflammari vellet: vel quod non ad regnum occupandum se in terras venisse, omnibus palam demonstrare cuperet: vel quod scelerum nostrorum expiatio, cum affluentiori rerum copia minus apte coniungi, ac copulari poterat: eorum quæ falso appellantur bona, inopem fuisse dicimus. Sed tamen cum apostolis duodecem, & septuaginta discipulis omnia ad victum necessaria suppeditaret: vel permulta ab hominibus sanctis, & religiosis subministrata accepit: vel quotidie in suis alendis, communem mutauit naturæ cursum. Non omnes autem pauperes beatos prædicat: sed eos qui sunt pauperes spiritu: nec omnem paupertatem suis commendat: sed eam, quæ in humilitate, in demissione, in patientia, in sobria, ac temperata viuendi moderatione consistit. Neque vero opes natura malas censet: neque legitimum condemnat rerum externarum vsum. Sed vt paupertati fauet:

quæ

quæ meliorum expectatione deteriora tolerat: ita probat diuitias, quæ pietati, ac beneficentiæ ancillantur. Sed illis opulentis semper succenset, qui in fugacibus bonorum vmbris spem reponunt, qui præsentium specie deliniti, futura, & solidiora negligunt: qui superbia intumescunt, & animi elatione: qui effusas consectantur in omni intemperantia libidines: qui conquirunt voluptates, nec necessarias, nec honestas: qui res eas, quæ magnum pietati decus afferre potuissent, nequitiæ cogunt subseruire.

In sacrilegos direptores.

Sed si qui sunt, qui non tam sua, quam aliorum causa opes sibi concessas putant: si qui sunt, qui vt pietati adhæreant, proijcient libenter res externas: si qui sunt, qui vitam potiùs, ac sanguinem profundēt, quàm se à Christo diuelli patientur, illi certe, etiamsi maxima diuitiarum copia circumfluunt, in ea tamen, quam tantopere nobis commendauit Christus, paupertate viuunt. Vlcerosum illū Lazarum non paupertas, sed pietas in cœlum euexit: & diuitem epulonem, qui purpura, & bisso vestiebatur, & quotidie voluptatibus laute indulgebat, scelera, non diuitiæ in Orcum depulerunt. Nam pauper ille, in diuitis Abrahami sinu repositus fuerat: & sceleratus hic diues cum egentibus, quorum cupiditates irritauit potius, quam repressit paupertas, in Tartaro afflictus iacet. Eos maxime diuites (vt regius propheta canit) detestatur dominus, qui vires suas in deo non collocant: sed suarum copia diuitiarum freti: sua nituntur prauitate. Sed etiamsi improbos diuites repellat deus: legitimum tamen diuitiarum vsum haud condemnari his verbis Paulus ostendit: *ijs qui in hac vita diuites sunt denuncia, ne superbiant, neue spem habeant in incertis diuitijs, sed in viuente deo: qui omnia nobis suppeditat ad fruitionem: vt benefaciant, vt recte factis diuites, vt liberales sint, atque largi, præclarum sibi fundamentum in futurum congerentes: vt vitam assequantur vitæ sempiternam.* Eleganter de hac re, vt de omni-

In sacrilegos direptores.

omnibus Augustinus: *non facultates, sed cupiditatem Deus attendit: & pauper Dei, in animo est, non in sacculo.* Sed nec illud silentio præterire conuenit, quod quæ Christus de paupertate, ac diuitiis dixit, ad omnes Christianos communiter spectant. Vel omnibus igitur Christianis opes simul adimi: vel, si id sine scelere fieri non possit, quæ ad necessarios vitæ vsus spectant, euangelij ministris concedi oportet. Quamuis non peto, vt quidquam mihi largiantur. Nollem enim a tam fœdis hominibus beneficijs ornari: sed ne auferant ea quæ nunquam concesserunt, id optimo iure licebit petere.

Sed vt Iesu Christi, ita Apostolorum etiam exempla nobis proponunt: & proponemus ijs vicissim veterum exempla Christianorum. De Apostolorum paupertate, sæpe, & multum verba faciunt: & veterum nos Christianorum liberalitatem, & beneficentiam dilaudabimus. Si illos nihil possedisse dicent: hos ad eorum pedes bona sua, libenter, dicemus posuisse. Æquum est vt Apostolos ministri imitentur: &, æquum similiter est vt reformatores nostri, si Christum Iesum pie, ac religiose colent, veteribus Christianis se persimiles ostendant: & cumque ab alijs fieri oporteat tam diligenter exquirunt: quid rectius, quam vt officiorum suorum momenta paulo accuratius expendant? Tres (vt in fabulis est) fuere lamiæ, siue gorgones, quibus vnus erat communis oculus, quo cum foras prodirent, communiter vtebantur: sed domi eum in vasculo inclusum retinebant. Omnibus reformatoribus vnus videtur inuidiæ oculus, quo aliena curiosius perlustrant: cum sua interim vel non perspiciunt, vel non multum curent. Malitia enim in alienis eos nimium perspicaces efficit: sed Deus ille quem colunt πλοῦτος, in suis ipsorum rebus, eos cæcos, & stupidos reddit. Verū cum vt lamiæ aliena cupide aspiciunt: intus tamen, vt Aspendius ille

le Citharædus, sibi semper canunt. Aliena bona vident, & inuident: sed priuatum sibijpsis perquirunt lucrum. Quid? ad istas ineptias abis? inquient. Quasi vero hæc à poetis conficta non fuerant: vt in effictis rebus, & personis, impuri improborum mores, vel expressa potius ipsius nequitiæ imago, audacius notari, & liberius reprehendi posset. Ac certe reformatorum malitia facit: vt quæ absurdius antea dici videbâtur: ea iam vel vere, vel apte dicta existimemus. *In sacrilegos direptores.*

Sed Apostolis ministros persimiles esse oportere dicunt. Deus bone quid iam aliud opto? aut qua de re mœstius conqueror: quam quod eos qui virtute omnibus alijs præstare debuissent, signiferos video omnis nequitiæ? Sed quanam in re Apostolis ministros similes esse vellent? Sanctitate vitæ? Honesta quidem cupiunt: sed non adiuuant causam. Nam sanctitati opulentia haud quicquam officit. Docendi diligentia? Nihil ab honestis studijs magis animum auocat, quam dum necessaria desunt vitæ subsidia. Intelligentia rerum cœlestium? quid ergo a rerum sacrarum administratione pios, & eruditos submouent? An calamitate, ærumnis, inopia, nuditate, ministros Apostolis persimiles esse cupiunt? Iā internos affectus quos antea occultârunt apertius produnt. Haud mirum si Decios Constantinis, & Theodosijs Iulianos anteponunt. Christianam enim pietatem perpetuo affligi optant. Veteres tyranni in puluerem, in pugnam, in dimicationem, pietatem extraxerunt: hi pietatis incîdunt neruos, ne in aciem prodire possit. Illi delitescentem in tenebris virtutem, in lucem vocârunt: hi omni studio contendunt, vt quid sanctū sit, ac pium, a nullo cognoscatur. Illi cū religione aperte conflixerunt: hi religionem, dum fouent, suffocant: dum blandiuntur, interimunt. Illi Christianis, quos oderant gloriosam mortem afferebant: sed sacrilegi direptores, ministros nec recte viuere, nec glo-

In sacrilegos direptores.

gloriose mori patiuntur. Quæ direptio omnibus persequutionibus, quæ in Christiano orbe vnquam extiterunt, tanto grauior, ac funestior haberi debet: quanto miserius est fame perire, quam ferro, aut flammis necari. Nemo est, quin si libera eligendi optio daretur: vno ictu semel confici, quam lentè absumi mallet. Nero, vt omnes alios sæuitia, ita ipsam sæuitiam efferata immanitate superauit: cum gladiatoribus suis, & alijs nequitiæ ministris hoc assidue præciperet: vt qui ad necem raperentur, sentirent se mori. Quare desinant tandem hi homines reformationis nomine sacrilegium, & prædandi libidinem pietatis specie velare. Quid tacite machinantur, aperte declarent. Ostendant quanam spe ad reformandam Ecclesiam accesserint. Insidijs nos non circumuenient: vim adhibeant. Omittant disputationes: vtantur impetu. Æquis disceptationibus nihil vnquam efficient: multitudine, aut potentia, id quod scelerate cupiũt, fortassis præstabunt. Iniquis direptionibus scriptura non fauet: ad iniustitiæ defensionem Iustitia dextram non tendit: in sceleris societatem sanctitas non admittitur: & temere, ac inconsiderate Apostolorum exempla nobis proponunt, qui sacrosanctam Apostolorum doctrinam aspernantur. Episcopos esse hospitales Paulus requirit: sed cum omnia abrepta fuerint a reformatoribus, quonã pacto hospitales esse poterunt? Patebit eorum domus hominibus peregrinis? nullas ipsi domos habebunt. Benigniori apparatu indigentes excipient? dura ipsi affligentur inopia. Quid ergo? blandioribus verbis esurientes pascent? votis, & optatis pauperum tegent nuditatem? E via languentes humi molliter recubare permittent? & suarum calamitatum commemoratione aliorum mala subleuabunt? Hanc liberalitatis speciem Iacobus merito condẽnat: sed opera â Iacobo nimium approbari dicent.

Hic quoniam disputando non multum se profecisse perspiciunt: rationes, & argumenta omittunt: & ad summos

summos confugiunt rerumpublicarum moderatores: eosque huic causæ infestiores efficere conantur. Nam vt Aman ille Agagæus, Assuero decem talentûm millia in ærarium ea lege, atq; conditione, se illaturum promisit, vt vniuersa Iudæorum natio deleretur: sic reformatores, Amani astutia similes, sed superiores improbitate, varias proponunt vtilitates: quas episcoporum, & cathedralium (vt vocantur) ecclesiarum ruinis ad summos magistratus prouenturas dicunt. Sed in hoc primò grauissime peccant: quod in scelere lucrum statuunt: & quod quæstuosam existimant esse iniustitiam. Quam reformatorum sententiam, in liberis (vt appellantur) ciuitatibus, sed reipsa cupiditatum seruis: & apud eos, qui sanctitatem diuitijs posteriorem ducunt: auide exceptam fuisse minime miror. Sed apud maximos principes, qui ne regni quidem causa iustitiam violarent: quique virtute, quam opibus statum suum certius communiri existimant: tam spurca (vt spero) sententia locum non habebit. Quamuis autem à virtute vtilitatem seiungi nollem: eorum tamen commodis, qui salutem meam defendunt: nec possum, nec debeo aduersari. Si ergo ecclesiæ direptionem regibus vtilem esse ostendent: ego quoque id pium, & iustum concedam. Quodnam igitur nobis proponunt vtilitatis genus? Permultæ (inquiunt) pecuniæ in ærarium inferentur. Præclarum id quidem, si non omnia ita diripiantur simul, vt nihil sit quod in posterum ab ecclesiasticis appendi possit. Si quis villicus (inquit Cicero) ex eo fundo cui H-S dena merces esset, excisis arboribus, ac venditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato, domino viginti millia nummûm pro decem miserit: sibi alia præterea centum confecerit: primo dominus ignarus incommodi sui gaudeat, villicoque delectetur: quod tanto plus sibi mercedis ex fundo refectum sit: deinde cum audierit, eas res quibus fundi

In sacrilegos direptores.

In sacrilegos direptores.

fructus, & cultura continentur, amotas, & venditas: summo supplicio villicum afficiat, & secum male actum putet: & consimili ratione, si reformatores nostri, euersis episcopis, ecclesijsque direptis, & collegijs dissipatis, maiorem pecuniæ vim, quam nunc confertur, in ærarium inferre possent: etiamsi id esset iniustum: aliquo tamen modo ferendum videretur. Sed cum imminuant vsitata principum vectigalia: cum aliò auertant, quod quotannis ab ecclesiasticis pendi solebat: cum tributa, decumas, primitias auaritia sua tollant: & maximum interim ipsi quæstum, prædamque faciant: quis eos regibus fauere, ac non priuatas potius vtilitates quærere iudicabit? Sed quoniam in istis immorari non libet, ita breui accipiant responsum. Magni principes sacrorum potius custodes, quam direptores se haberi cupiunt: non aliam ob causam, commissam sibi arbitrantur dignitatis eminentiam: quam vt afflictæ ecclesiæ domicilium præbeant, & stabilem sedem: plus sibi vtilitatis allaturas existimant sanctißimorum præsulum precationes: quam opes violentas, aut scelere partas: & statum suum certius communiri iudicant pietate, quam armis, quam robore, quam militaribus custodijs, & vigilijs. Neque vero eam esse vitam putant, quæ semihoræ spacio euolare poterit: sed illam esse statuunt suam vitam: quæ vigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet: quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic inseruiunt: huic se ostentant. Ad præsentia ita se accommodant, vt cogitent etiam de futuris: respublicas suas (si fieri posset) immortales efficerent: quis post multa secula sit rerum status, ad se pertinere existimant: non inibunt ea consilia, quæ posteris incommoda afferre possunt: nullam in terris potentiam, nullam vim mortalium metuunt: sed metuunt eorum, qui postea nascentur, iudicia:

dicia : & homine indignam iudicant illam Neronis vocem , qua optabat , *vt se pereunte omnia conflagrarent.* *In sacrilegos direptores.*

Hîc rerum ecclesiasticarum prædones, de alijs præsidijs depulsi, paupertatem laudant : eaq; impuriores affectus sanctißime reprimi, & coerceri dicunt. Sed paupertatem ab illis dilaudari quam minimè decet, qui diuitias quauis virtute potiores existimant ? & quanam fronte affluentiorem rerum copiam condemnant : qui sacrilegos, quam pauperes se, & esse, & haberi malunt? Fœlix, vt inquiunt, tum erat ecclesiæ status : cum episcopi, & sacerdotes necessarijs rebus præclare contenti : opum abundantiam, pompæ, quam pietati, & scenæ, vt Socrates dixit, quam vitæ aptiorem iudicarent. Sed cum imperatores animo fortaßis non malo, sed consilio, vt euentus declarauit, peßimo, magnas opes euangelij ministris attribuerent : refrixit continuo in multorum animis pietatis ardor : & cum diuitijs luxus, cum luxu omnia malorum genera in ecclesiam irruperunt. Corruptos grauiter esse non ignoro ministrorum mores : nec cuiquam certe, quam mihi maiorem ea res dolorem affert. Sed quid mirum in eo ordine permultos improbos reperiri : quò tam multos videmus non dignitate vitæ, sed precio peruenire? Nam cum ecclesiastica munera non virtuti donari, sed quibusuis de plebe diuendi constet : cum homines improbißimi, quod pios, & eruditos conditionibus suis astringere non possunt, omnium indignißimis sacerdotia satis opima concedant : cum vix vllus iam ad celsiores sedes perueniat, nisi maximam aureæ meßis partem cum alijs prius depacisci velit : minime mirum existimari debet, quod cœlestium, ac sacratarum rerum administratio illis committitur, quibus res priuatas vix quisquam committet : nec quod ad placandam

In sacrilegos direptores. fructus, & cultura continentur, amotas, & venditas: summo supplicio villicum afficiat, & secum male actum putet: & consimili ratione, si reformatores nostri, euersis episcopis, ecclesijsque direptis, & collegijs dissipatis, maiorem pecuniæ vim, quam nunc confertur, in ærarium inferre possent: etiamsi id esset iniustum: aliquo tamen modo ferendum videretur. Sed cum imminuant vsitata principum vectigalia: cum aliò auertant, quod quotannis ab ecclesiasticis pendi solebat: cum tributa, decumas, primitias auaritia sua tollant: & maximum interim ipsi quæstum, prædamque faciant: quis eos regibus fauere, ac non priuatas potius vtilitates quærere iudicabit? Sed quoniam in istis immorari non libet, ita breui accipiant responsum. Magni principes sacrorum potius custodes, quam direptores se haberi cupiunt: non aliam ob causam, commissam sibi arbitrantur dignitatis eminentiam: quam vt afflictæ ecclesiæ domicilium præbeant, & stabilem sedem: plus sibi vtilitatis allaturas existimant sanctissimorum præsulum precationes: quam opes violentas, aut scelere partas: & statum suum certius communiri iudicant pietate, quam armis, quam robore, quam militaribus custodijs, & vigilijs. Neque vero eam esse vitam putant, quæ semihoræ spacio euolare poterit: sed illam esse statuunt suam vitam: quæ vigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet: quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic inseruiunt: huic se ostentant. Ad præsentia ita se accommodant, vt cogitent etiam de futuris: respublicas suas (si fieri posset) immortales efficerent: quis post multa secula sit rerum status, ad se pertinere existimant: non imbunt ea consilia, quæ posteris incommoda afferre possunt: nullam in terris potentiam, nullam vim mortalium metuunt: sed metuunt eorum, qui postea nascentur, iudicia:

dicia : & homine indignam iudicant illam Neronis vocem, qua optabat, *vt se pereunte omnia conflagrarent.* *In sacrilegos direptores.*

Hîc rerum ecclesiasticarum prædones, de alijs præsidijs depulsi, paupertatem laudant: eaq; impuriores affectus sanctissime reprimi, & coerceri dicunt. Sed paupertatem ab illis dilaudari quam minimè decet, qui diuitias quauis virtute potiores existimant? & quanam fronte affluentiorem rerum copiam condemnant: qui sacrilegos, quam pauperes se, & esse, & haberi malunt? Fœlix, vt inquiunt, tum erat ecclesiæ status: cum episcopi, & sacerdotes necessarijs rebus præclare contenti: opum abundantiam, pompæ, quam pietati, & scenæ, vt Socrates dixit, quam vitæ aptiorem iudicarent, Sed cum imperatores animo fortasis non malo, sed consilio, vt euentus declarauit, pessimo, magnas opes euangelij ministris attribuerent: refrixit continuo in multorum animis pietatis ardor: & cum diuitijs luxus, cum luxu omnia malorum genera in ecclesiam irruperunt. Corruptos grauiter esse non ignoro ministrorum mores: nec cuiquam certe, quam mihi maiorem ea res dolorem affert. Sed quid mirum in eo ordine permultos improbos reperiri: quò tam multos videmus non dignitate vitæ, sed precio peruenire? Nam cum ecclesiastica munera non virtuti donari, sed quibusuis de plebe diuendi constet: cum homines improbissimi, quod pios, & eruditos conditionibus suis astringere non possunt, omnium indignissimis sacerdotia satis opima concedant: cum vix vllus iam ad celsiores sedes perueniat, nisi maximam aureæ messis partem cum alijs prius depacisci velit: minime mirum existimari debet, quod cœlestium, ac sacratarum rerum administratio illis committitur, quibus res priuatas vix quisquam committet: nec quod ad

In sacrilegos direptores. placandam numinis voluntatem adhibentur: quorum opera, nemo terrenis in causis ad conciliandam hominum beneuolentiam vtetur. Sed repellantur perditæ, dissolutæ, & nummariæ ministrorum electiones: ad interpretandam numinis voluntatem, virtute, non nummis homines accedant: supplicijs coerceantur rerum, quæ diuendi non possunt sceleratæ coemptiones: ne includatur diutius in tabulis, tanquam gladius in vagina reconditus, neue hebescere permittatur legum optimarum acies: tum meliores ministros designari videbimus.

Verum in hac re nullos grauius, quam coriphæos reformatorum peccare constat. Nam cum de sacerdotum indignitate passim queruntur: sacerdotes omnibus modis indignissimos designant. Inuecta in ecclesiam mala vehementer improbant: & malorum assidue adaugent causas. Quæ verbis condemnant, reipsa nutriunt: & cum ministrorum mores necessario reformandos existimant, vt grauior tamen oriatur rerum perturbatio, ad sacrorum procurationem improbos tantum, & sceleratos admoueri cupiunt. Sed non condemno reformatores, quod dissolutos ministrorum mores tam acerbe reprehendunt. Imo vero id sæpius, ac acerbius fieri vellem. Sic enim (vt spero) fiet, vt quos non admirabilis pulchritudo sanctitatis: non deformis, & odiosa species vitiorum: non dei iussa: non matris lachrimæ ad recte agendum permouere possunt: hos importunissimorum hominum hostilis acerbitas à nequitia deterreat. Verum ob paucorum delicta, totum ordinem condemnari iustitia prohibet: & ea, quæ vt in improbis alunt nequitiam, ita in bonis subseruiunt virtuti, tanquam res natura malas improbari, recta ratio non patitur. Opulentia internos affectus non corrumpit, sed prodit potius: & quæ prius occultata fuerant, trahit in lucem. Sed si quis sit, qui haud vl-

los prius esse improbos existimat, quam improbitatem suam ante omnium ora, & oculos proponunt: is eâdem ratione, nec antea homines esse timidos, quam abiectis clypeis ex acie fugiunt: nec libidinosos, priusquam pudicitiam expugnant: nec venenatos esse scorpios, cum non percutiunt: nec viperas, cum nemini læthales morsus infigunt, vllum in se virus habere dicat. Permultos constat paupertate, tanquam fræno in officio contineri: qui cum ad opes peruenerint aliquanto liberius, & dissolutius viuunt. Sed multorum etiam virtus in egestate, ac inopia, nō aliter, quam si recte agendi instrumentis destituta esset, obscurius delitescit. Quæ cum opes, cum potentiam, cum authoritatem nacta fuerit: multo clarius, & illustrius splendescet: & maiores vtilitates afferet hominum vitæ. Neque tamen vel hos diuitijs meliores fieri: vel illos corrumpi: sed quod in vtrisque delituit, apertius in lucem proferri patet. Rectissime de hac re Seneca: *non est in rebus vitium, sed in ipso animo. Illud quoque quod paupertatem nobis grauem fecerat, & diuitias graues facit. Quemadmodum nihil differt, vtrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocunq; illum transtuleris morbum suum secum transferet: sic nihil refert, vtrum animus æger in diuitijs, an in paupertate ponatur: malum suum illum sequitur.* Pamphagum quendam, helluonem spurcissimum, cum ad conuiuia inuitatus esset, in delicatiores cibos sordes coniecisse ferunt: vt solus quibus vellet, liberius vesceretur. Et certe qua olim auiditate gurges ille, atq; helluo, ad cibos accessit: eâdem reformatores nostri ad deuorandas ecclesiæ opes accessisse mihi videntur. Ecclesiæ enim opes arripiunt, cum condemnant: omnium malorum semina, & alimenta esse dicunt: & in priuatos quæstus nequissime transferunt. Paupertatem laudant, & conquirunt diuitias: in sacerdotum inopia ecclesiæ salutem contineri affirmant, vt pietate ad sacrilegas direptiones

In sacrilegos direptores.

In sacrilegos directores.

ones accedere: & sanctitatis in maximis sceleribus curam habere videantur. Sed si diuitijs virtutem eneruari statuant: quîd diuitijs circumfluere tam vehementer contendunt? si opum abundantia Ecclesiæ puritatem concidisse existiment: quîd tanti mali causam non sibi quoque perniciosam futuram putant? Si affluentior rerum copia sine scelere posideri non posit: quid illis sceleratius, qui cupiditati violentiam, & auaritiæ rapinas adiungunt? si externa hæc bona virtuti decus, & ornamẽtum nonnunquam afferant: quis episcopos reprehendet: quod contra impurisimorum hominũ libidinem benignitatis instrumenta retinere student? Quid hîc dicent egregij reformatores? aut quam causæ tam improbæ defensionem afferent? nullane diuitiarum affluentia se deliniri posse contendent? Gratulabor plurimum eorum fœlicitati: sed tantam non esse aliorum virtutem, & vehementer mirabor, & moleste feram. An vero ne alij delinquant, flagitijs se obstringent? tam improba, & dissoluta hominum reformationem appetentium esse consilia, mœste lamentabor. Vnum hoc vrgent, idque sæpius, aduersus omnes meos impetus, tanquam murum opponunt: luxuria diffluentes ministrorum animos ad integritatem, ad innocentiam, ad synceriorem vitæ puritatem necessario reuocandos esse. Quis sub hac virtutis specie fraudes occultari statuat? Quis eos, qui bonorum verbis vtuntur, non facta quoque imitaturos putet? Quis homines reformationis, vt præ se ferunt, tam studiosos, non ad totius Ecclesiæ vtilitatem diuinitus excitatos dicat? Verum cum luxuriam condemnent: & ea ipsa, quæ luxuriæ alimenta esse profitentur, ad se transferri petant: vitiosos quidem reprehendere: sed approbare vitia: condemnare nocentes: sed crimina absoluere videantur. Hoc certe modo nõ tam aliorum peccata minuunt, quam augent sua: nõ multum laborant de ministrorum sanctitate: sed vnum hoc

agunt,

agunt, vt ad vitam iucundam, & voluptatibus refertam nihil sibi omnino deesse possit. Quis vitia, quæ odit, vnquam imitabitur? Quis flagitia committet, quæ in alijs vindicare parat? Inepte facit, qui vt falsa dispellat, errores spargit: & nihil eo imprudentius, qui vt luxuriā reprimat: diffluit luxuria. Non minus ergo imprudentes, quam improbos sese reformatores ostendunt, quod ad nequitiam nequitia depellendā accedunt: sed quod vt leuiora tollant, grauiora committunt: quod vt delicta coerceant, maximis se obstringunt sceleribus: quod ministrorū negligentiā rapinis puniunt: quod ne alij sint impuri, ipsi erunt sacrilegi: quonam nomine tam singulare improbitatis, vel furoris genus appellem, nescio. Præclaram scilicet reformationem ab his expectemus: qui temeritatē, impudentia: violentiam, contumelijs: vitæ impuritatem, expugnatione pudicitiæ: superbiam, furore: furtum, rapinis: mēdacia, periurijs: & sacrilegijs iniurias depellunt. Hanc calamitosam pestem, ac perniciem omnium virtutum, si vllo modo possem, libenter propulsarem: sed quod solum possum mœste, & flebiliter deplorabo. Nam cum omnia fere hac ætate liceant: de malis conqueri (vt existimo) licebit. Quod si horum temporum calamitatem, feræ, & ferreæ naturæ homines deflere mihi non permittent: augebunt vehementius dolores meos: & multo grauius me lamētari cogent. Affectus enim mei, non sunt in mea potestate: cum seuerius coercentur, vt obstructus diu aquarum cursus, maiores habent impetus: & non magis dolorem, quā famem, & sitim possum depellere. Atq; vt aliud ex alio malum nascitur: ita luctus luctū perpetuo trahit: mœror mœrori viam parat: & priusquam de vna calamitate deplorâro: noua continuo plorandi causa affertur. In grauissimis quidem miserijs, quæ mentē meā hac ætate multo sæuius, quam vnquam antea perculerunt: hoc vno me semper consolabar: quod sempiterni numinis internuncios, oppugnatos vndique ab acerrimis hostibus, vitam

In sacrilegos direptores.

In sacrilegos direptores.

tam multo sanctius, & innocentius acturos existimabam. Sed hanc spem cogitationum mearum fefellit plurimum ipse rerum euentus. Istis enim ipsis, quibus, & me, & mea omnia haud illibenter commisi: vel paulo vehementior ambitionis aura: vel rerum externarum inconsiderata cupiditas, haud paucas impuritatis labes aspersit. De qua re nec quid loquar, nec quonam pacto honeste reticeam, reperire possum. Si loquar enim, eorũ laudi, & existimationi, quos ab omni non modo crimine, sed criminis suspicione liberos esse vellem, non tam amanter consulam. Si reticeam, peccata certissime perspecta, & omnibus cognita, atque explorata, aperte videbor approbare. Sed Iesum ego, & meum, & vestrum seruatorem, charissimi filij, hoc inprimis testor: quod delicta vestra ita occultari cupio, vt a nemine vnquam collustrari possint. Sed quæ palam, ac aperte in lucem erumpunt: quæ in omnium ore, & oculis versari constat: quæ, & manifestius fiunt, quam vt quisquam ignoret: & multo sæpius, quam vt obliuione deleantur, ea vt ignorare non possum, ita dissimulare non debeo. Liceat igitur calamitosæ vestræ matri, charissimi filij, vtinam libere liceat, hoc in vobis aperte improbare: quod cum omni nequitiæ obsistere debeatis: sacrilegium non reprimitis, sed confirmatis potius. Ad ampla enim sacerdotia, pactionibus parum iustis peruenitis: ecclesiasticas opes tanquam prædam cum dignitatis vestræ authoribus haud raro diuiditis: ad Episcopatus, tanquam ad auream messem, vt Athenis quidam, cum inirent magistratum de seipsis dixerunt, non tanquam ad munus laborum, & molestiarum plenissimum acceditis: atque vt altiores sedes coematis: pudorem, fidem, pietatem, & pene Christum ipsum diuenditis. Munus illud, quod expetitis, tantæ est præstantiæ, vt animos vestros haud immerito excitare possit. Sed munus tamen est la-

boris,

boris, non desidiæ: solicitudinis, non voluptatis: nec aliter vobis laudem, ac honorem afferet, quam si recte, & pie administretur. Id autem vt fœliciter præstari possit: non erit satis, charissimi filij, si pie, ac honeste ipsi priuatim viuatis: sed suscipienda est vobis aliorum cura: & adhibenda est etiam magna diligentia: vt omnes qui fidei vestræ sunt commissi, ad sempiternam fœlicitatem perueniant. De àliorum enim vita, ac moribus, aliquando vobis reddenda est ratio: & animas vestras, non solum vestra, sed aliorum etiam peccata prement. Sed quis tandem vt laboret, vt vigilet, vt conficiat seipsum curis, vt alienis sceleribus oneretur, pecunias profundet? Vel prudentiam ergo, vel pietatem in vobis filij desiderare cogor: quod dum sacrarum rerum administrationem emitis: coemitis labores: coemitis pericula: & sempiternam fortassis perniciem coemitis. Vestris ego diuitijs haud inuideo filij: nec vestris vsibus affluentiorem rerum copiam consecrari moleste fero. Haud pauciora enim præmia theologiæ, quam alijs artibus proponi oportere, ipsius æquitatis ratio demonstrat: dignos esse mercede, qui in sacris rite pertractandis versantur, scripturæ diuinitus inspiratæ ostendunt: & cœlestis verbi ministris permulta olim largiti sunt clarissimi principes, quæ sine inexpiabili scelere in alios vsus transferri non possunt. Sed si ad hæc bona, quæ ratio, quæ pietas, quæ maximorum regum authoritas vobis consecrauit, absq; nefarijs pactionibus peruenire non possitis: si flagitiosæ earum rerum instituantur nundinæ; quas nec enũ, nec diuendi religio permittit: si cum omnia mala hac ætate liceant: sanctissima munera sine precio obire non licet: tum a vobis filij vehementer petam, & contendam: vt paupertatem cum innocentia, cum integritate, cum fide coniunctam, diuitijs iniustis, & scelere acquisitis præstantiorem existimetis. Est omnino difficile nõ grauiter, & moleste ferre, quod destinata vobis præmia passim abripi, &

Cohortatur ecclesia episcopos, & alios diuinæ volũtatis interpretes, & internuncios, vt flagitiosas omni studio fugiant rerũ sacratarum nundinas.

Cohortatur ecclesia episcopos, & alios diuinæ volũtatis interpretes, & internuncios, vt flagitiosas omni studio fugiant rerũ sacratarum nundinas.

auferri solent. Sed optimum tamen virtutis præmium, iudicate ipsam virtutem: &, si ad recte agendum tanquã mercenarij acceditis, pietatis amor in vobis friget. Si maiori rerum copia affluatis, plura habetis virtutum instrumenta: & maior recte agendi suppeditatur vobis seges, & materia. Quod si abrepta vobis fuerint omnia: nisi abrepta simul fuerit virtus: nunquam ego vos infœlices putabo. Pauca enim (vt nôstis) sufficiunt naturæ: pauciora pietati: & ad bene, beateq; viuendum haud magnus rerum apparatus requiritur. Ac certe si non egestas vos fractos: nec cupiditas iniustos, nec aliorum opulentia inuidos faciat: haud video quid vobis ad fœlicitatem desit. Verum multi θεῖον ἀγαθὸν τὴν τιμὴν Iudicant: & dignitatem vt assequantur, ad iniquissimas conditiones libenter descendent. Sed hos homines totam ignorare patet honoris viam. Honos enim scelere partus, maximum, & grauissimum dedecus existimari debet. Nam quid turpius, quam rerum bonarum ornamenta communicari cum malis? quid ignominiosius, quam nequitiam in virtutum subsellijs, ac sedibus collocari? Neq; vero scelerum fœditatem minuit honor, sed in lucem producit. Nam quæ obscuriori loco posita, occultari potuissent: ea cum in eminentiori sede collocãtur, manifestius ab omnibus cognosci possunt. At vero magna stipari seruorũ turba: res præclara nonnullis videtur. Sed quid illis miserius, qui in maxima hominum frequentia soli, & deserti relinquũtur a virtutibus? & quodnã illi ornamẽtũ afferent, qui dominos suos, vel vt mel muscæ, vel vt vultures cadauera sequũtur? Vel enim blandiuntur, vt deprauẽt: vel cõitãtur, vt discerpãt. Quid ergo dicat quispiã, num ecclesiasticas opes sacrilegorũ libidini permitti velles? Minime quidẽ: illud nec in oratione posui, nec in cogitatione. Quin potius a vobis filij vehemẽter peto, & cõtendo: vt horũ hominũ sceleri acerrime obsistatis. Quod si diligẽtiam vestram impurissimorũ hominũ nequitia superet, si

eorum.

eorum libido nulla re nisi ruinis vestris expleri possit: tum labori lachrymas, lachrymis preces, & vota adiungite, & hoc vnum agite, vt tempora potius vestris studijs, quam vestra studia pietati defuisse videantur. Verum vt sacrilegas direptiones, ita flagitiosissimas rerum sacratarum nundinas, quas à nonnullis vestrûm nimium approbari, non sine dolore video, omni studio à vobis oppugnari vellem. In ecclesia enim nihil vel emi, vel diuendi conuenit. Haud vlla res vehementius oppugnat æquitatem: quam cum ea, quæ virtuti donari oportuit, precio obtinentur. Hæc res infimos cum summis: imperitissimos cum eruditis: & cum optimis, ac sanctissimis homines longe indignissimos exæquat: hæc res iura diuina, & humana miscet, perturbat, & confundit: hæc res maxima mihi mala semper intulit. Quare filij charissimi (quamuis enim patres sitis reuerendi, ecclesiæ tamen filios vos haberi ne pudeat) ecclesiæ potius vtilitatem quærite, quam priuatas opes: vberrimum quæstum iudicate multorum salutem: in ecclesiæ incolumitate vestrum decus: non in vestris diuitijs ecclesiæ dignitatem contineri existimate. In ministrorum designatione, expendantur virtutes: non dominentur affectus: non vtilissimos vestris rationibus, sed aptissimos ad docendum deligite: nec in regum duntaxat electione, sed in concessione etiam rerum haud magnarum, audiendam iudicate Alexandri vocem: *detur digniori*. Hanibal olim (vt refertur) in castris suis virtute, non genere homines certare voluit: & vos virtuti, non cognationi honorem deferre decet. Nullos ille nisi bellicosos sibi milites esse permisit: & nullos nisi eruditos ad sacrosancta hæc munera à vobis admitti conuenit. *Qui hostem feriet, dixit Hanibal, erit mihi Carthaginensis*: & qui ad pietatem alios informare poterit, sit vobis amicus, sit cognatus, sit filius. Patres ab omnibus vos communiter appellari constat:

Cohortatur ecclesia episcopos, & alios diuinæ volūtatis interpretes, & internuncios, vt flagitiosas omni studio fugiant rerū sacratarum nundinas.

Cohortatur ecclesia episcopos, & alios diuinæ volũtatis interpretes, & internuncios, vt flagitiosas omni studio fugiant rerũ sacratarum nundinas.

quod non paucos tantum charitate complecti, sed omnibus quantum fieri possit, paterna cura consulere, & prouidere debeatis. Cum communes ergo multorum patres habeamini, quîd non commune perquiritis multorum bonum? quîd benignitas ea, quam ad omnes exire, & promanare oportuit: intra domesticos parietes ita consumitur, vt ad aliorum vtilitatem nihil omnino deriuari possit. Liberius hæc dici nonnulli iudicabunt: sed vtiliora sunt vulnera, quæ amici infligunt, quam vel oscula, vel blanditiæ, vel quæ nunquam recte donantur dona inimicorum. Quæ de sacrilegijs diximus, nihil omnino ponderis apud eos habebunt, qui dulcem esse cuiuslibet lucri odorem statuunt. Nam vt venter non habet aures: sic cœca, & inconsiderata cupiditas in omnibus rebus præceps fertur: & quid rectum sit, ac pium, vel non perspicit, vel non curat. Sed peruertant licet sacrorum direptores tum diuina, tum humana iura: & irrideant omnia, quæ de religione dicuntur: non eo tamen modo effugient pœnas. Perspicax enim illud iustitiæ lumen, omnes hominum actiones, & prudenter speculatur, & summa cum æquitate, ac iustitia expendit: atque vt bonis se propitium præbere non desistit: ita improbos, & nefarios, quos nullus vnquam pudor â peccando reuocauit, sempiternis supplicijs cruciabit. Verum hæc, vel quia sæpius audierunt, tanquam peruulgatas cantiunculas irrident, & contemnunt; vel quia homines pessimos summa bonorum abundantia circumfluere perspiciunt: inania delirantium anicularum somnia esse iudicant. Haud vllus certe mortalis hos homines a sacrilegijs adducet, sed solus Deus: dei verba haud magni faciunt: sed plagis, verberibus, & acriori vitiorum animaduersione edocti, ad meliorem frugem se forsan recipient. Quod si ne hoc modo permoueri possunt, merito quidem pereant, cum salutem respuunt: sed si tanta nequitia

seuerius

seuerius vindicata fuerit, plurimum ad alios vtilitatis deriuetur. Tu igitur virtutum omnium & author, & defensor deus, pietatem varijs modis afflictam defende: & quam vehementer tibi displicet omnis iniustitia, palam, & aperte terrarum orbi commonstra. Testimonia in nequitiam homines improbi, & scelerati ferant: & quam infœlices sint illi, qui cœlesti legi aduersantur, si non verbis, at ruinis declarent. Sic precor viuant: vt nemo in terris libenter viueret: & talis eorum vitam mors excipiat: vt non tam alij eorum facta imitentur: quam exitum perhorrescant. Ac quoniam a paupertate vehementer abhorrent, eamq; omni malo tetriorem statuunt: vt ruina nostra ex egentissimis repente diuites euadunt: sic ex diuitibus rursus omnium bonorum inopes, & egentes fiant. Dilabantur cōtinuo, quæ iniuste sunt parta: infinitas corū appetitiones irritent potius, quam restinguant, sacrilegæ direptiones: quæ scelus comparauit, profundat luxuries: atque vt immensæ eorum cupiditati nihil sufficit: ita ad tuendas profusiones permulta semper desint. Cum autem perennem omnium bonorum fontem, cœlestem gratiam repellant: quanto se denudant bono, suis malis edocti liquido cognoscant. Eorum expectationes semper fallat rerum euentus: omnia illis infœliciter, & contra voluntatem accidant: & nihil vnquam agant, vel suscipiant, quod non in medio spacio frangatur: & in ipso prius obruatur cursu, quam portum cōspicere possit. Atq; vt religionem, æquitatem, rationem, & ipsius naturæ vocem contemnunt: sic totius precor naturæ ordo hominibus tam spurcis permutetur. Cœli primo tāta nequitia offensi, statas, & ordinatas vicissitudines non efficiant. Sol ne tam horrenda collustret flagitia, lumen suum abdat. Aer impuro nequissimorum hominum halitu inquinatus, noxios, & venenatos vapores emittat. Terra scelerum mole oppressa fruges illis proferre neget. Aqua illa, qua omnia ablui, & expiari solent, ita

Execratur ecclesia rerū sacratarum prædones.

Execratur ecclesia rerũ sacratarum prædones.

polluatur vtinam horum turpitudine, vt vel deficiat penitus: vel inutiles sapores habeat. Ignis, qui natura sua supera petit, ad hos absumendos deorsum feratur: & cum ijs, qui naturæ parenti bellum indicunt, tota rerum natura confligat. Ex arboribus præterea decidant fructus, priusquam ad maturitatem perueniant: expectatæ diu messes horum hominum vota, & desideria fallant: leues, & inanes spicæ, animos virtutum inanes coarguant: animantia vel nihil pariant: vel monstrosos edant foetus: vt sacrilegos direptores monstra esse, ac portenta certissima manifesto constet. Ipsi autem sacrilegi, infœlices(precor)sint in vrbe: infœlices sint ruri: infœlices sint in omnibus, quæ agunt, & suscipiunt. Si in bellum proficiscantur, cum clade, ac dedecore turpiter fugiant: si, quæ ad pacem spectant, procurare malint: consilia sibi, ac suis perniciosa ineant: pudeat eos intueri lucem, quam tot flagitiorum testem habent: cum circumfusi sunt tenebris, furiarum tedis ardentibus se agitari existiment: frequentiam fugiant, ne in hostium manus incidant: & in solitudine, sua eos nequitia, sua fraus, suum scelus perturbet, agitet, ac de statu mentis diducat. Iam vero cum omnes quos procreârunt, ruina mea magnos, & inopia opulentos efficere cupiant: dulcissimos sibi liberos, vel hostili ferro perimi: vel morbis tenellæ ætati insolitis discruciari primo, tum miserrime necari videant: nec tam odiosæ stirpis quisquam superfit, nisi qui parentum nequitiam, ac dedecus testetur. Quoniam autem fieri non potest, vt qui cœlestem maiestatem oppugnant: fideliter subseruiant terrenis regibus: nec sperandum est, vt qui diripiunt sacra, iustos se præbeant in profanis: obueniat hoc opto, vt hi homines vel tanquam læsæ maiestatis rei moriantur: vel condemnati de peculatu, aut aliquo huiusmodi crimine intereant. Quod si hoc effugient: vt ecclesiæ tamen opes scelerate absumunt: ita miris, ac inusitatis absumantur morbis: & ab

vno eorum membro, in aliud aſsidue ſerpat exitioſa tabes: donec ſoluta penitus totius corporis iunctura, animas cœlo, terræque inuiſas efflent. Vel ſi hoc ad eos non perueniat ſupplicij genus: quoniam tamen eccleſiæ opes, vxoribus ſuis non aliter concedunt: quam Perſarum reges maximas olim ciuitates pellicibus ſuis donabant: vt alia ciuitas monilia, alia redimiculum, alia gemmas, alia armillas præberet: hoc etiam ſpero continget: vt vxorum, quas ſpolijs meis ornare contendunt, fraude interfecti: ruina ſua à ſacrilegijs omnes ſemper deterreant.

Quæ eccleſia bona reformatores ſe allaturos dicunt.

Videtis tandem chariſsimi filij, quam præclara mihi, & venuſtatis ornamenta, & ſtabilitatis ſubſidia reformatores adimunt. Antiquas enim, ſiue leges dicam, ſiue præſcriptiones, ac normas violant, & reſcindunt. Eccleſiam matrem, ſuis liberis: Chriſti ſponſam, Chriſti ſeruis, quid ſit agendum declarare non permittunt. Ieiunia, quæ ab apoſtolis non ſolum obſeruata, ſed commendata poſteritati accepimus, petulantius irrident: & liberum ieiunandi tempus cuique concedunt. Archiepiſcopos, & epiſcopos, quorum ordine, ordo in rebus eccleſiaſticis potiſsimum conſeruatur, ab eccleſiarum gubernaculis excludunt: & inter cœleſtis verbi miniſtros nullum eſſe authoritate ſuperiorem, nullum inferiorem permittunt. Iam vero quanta mihi mala inferent: qui tam eximia bona abſtulerunt: nemini obſcurum eſſe poterit. Nam ſi nullas omnino leges conſtituere: ſi nemini quid ſit agendum præſcribere: ſi nullam vel iubendi, vel vetandi authoritatem habere poſſim: arripient multi diſſolutiorem, & viuendi, & ſentiendi libertatem: & excuſsis quaſi frænis, violentior cupiditas libere, & impune paſsim volitabit. Si certum, ac definitum ieiunandi tempus non deſignetur: eccleſiæ filij ſalutis ſuæ inſidiatorem, ac hoſtem teterrimum, coniunctis viribus haud vnquam ſimul oppugnabunt. Si

omnes

Quæ ecclesiæ bona reformatores se allaturos dicunt.

omnes diuinæ voluntatis internuncios, in eodem authoritatis gradu collocari oporteat: nullus erit, qui sine scelere alijs præcipiat: nullus, qui præcipienti honeste obtemperare poſsit. Quæ ministrorum æqualitas odiosam in Christianam rempublicam confusionem inferet. Præclare certe Aristoteles: εἰ μὴ ἴσοι, οὐκ ἴσα ἕξουσιν· ἀλλ' ἐντεῦθεν αἱ μάχαι, καὶ τὰ ἐγκλήματα, ὅταν ἢ ἴσοι μὴ ἴσα, ἢ μὴ ἴσοι ἴσα ἔχωσι καὶ νέμωνται. Nec minus eleganter Isocrates: μέγιστον δὲ αὐτοῖς σύνεβάλλετο πρὸς τὸ καλῶς οἰκεῖν τὴν πόλιν, ὅτι δυοῖν ἰσοτύποιν νομιζομέναιν εἶναι, καὶ τῆς μὲν ταυτὸν ἅπασιν ἀπονεμούσης, τῆς δὲ πρὸς τὸ προσῆκον ἑκάστοις, οὐκ ἔγνων τούτων τὴν χρησιμοτέραν, ἀλλὰ τὴν μὲν τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσαν τοὺς χρηστοὺς, καὶ πονηροὺς, ἀπεδοκίμαζον, ὡς οὐ δικαίαν οὖσαν. τὴν δὲ κατ' ἀξίαν ἕκαστον τιμῶσαν, καὶ κολάζουσαν προῃροῦντο, καὶ διὰ ταύτης ᾤκουν τὴν πόλιν.

Sed quoniam disciplinam à bonis diu desideratam, in Christianum orbem, longo se interuallo reuocâsse dicunt: ponderanda sunt diligentius, quæ tam magnifice proponunt: ne vel hominum saluti nostræ optime consulentium voluntatem ignorâsse: vel oblata nobis bona temere, & inconsiderate respuisse videamur. Quid ergo agent? vt collapsum disciplinæ decus in Christianorum cœtus reuocare poſsint? Primo quidem singulis ecclesijs pastores attribuent. Pius certe conatus, atque vtinam id quod proponunt, efficere aliquando, & præstare poſsint: tum enim pristinæ fœlicitati me restitutum putabo. Sed si homines sibi similes Puritanos admittent: prædones, non pastores in ecclesijs versari videbimus: & intima sacraria ipsis permittentur: quos ab exteriori limine depelli oportuit. Verùm errare oues sine pastore mallem, quam custodiri à lupis: & cum huiusmodi homines rerum ecclesiasticarum gubernacula pertractant, non sine causa metuam omnia naufragia. At vero in singulis ecclesijs pios, & eruditos rerum

sacratarum

sacratarum administros constituent. O quam libenter tam præclarum, ac cœleste beneficium Christiano orbi afferri viderem? quantam ea res mihi voluptatem attribueret, cuius nuda, & inanis cogitatio incredibili me perfundit lætitia? Fuit, fuit certe illud tempus: fuere quondam illi mores: de salute sua tam soliciti homines olim fuerunt: vt ad curandos animorum suorum morbos, non nisi peritißimos adhibere vellent. Sed terras reliquere illi mores: multo deterior exoritur ætas: & auro, non virtute, aut eruditione, ad sanctißima iam munera peruenitur. Quæ tamen mala reformatores propulsabunt: & eruditos ministros ecclesiæ donabunt. Primum quî hoc ab his hominibus expectare licet: cum statuere quis sit eruditus, maximæ videtur eruditionis? Deinde quonam pacto obsistent his, qui se patronos appellant, qui prædam rerum sacratarum non dulcem modo, sed maxime sanctam esse iudicant? Quanam ratione compescent indoctum illud doctorum genus: qui cum omni plane eruditione sint destituti, insignia eruditionis in acadæmijs nundinantur? Quibusnam vijs reprimient auidos illos, siue sacerdotiorum aucupes appellem, siue fœdißimas potius Harpias: qui vt plura diripiant, & polluant, hominibus summa authoritate præditis in rebus sacris subseruire solent? Perinde quasi, vt præmia eruditis, ita indoctis literæ à principibus dari possent. Verum laus his hominibus tribuenda est, si ministros vere eruditos designare cupiant: danda est venia, si omnia quæ tanto bono aduersantur, dimouere non poßint. Alios enim viros tanti momenti opus requirit.

Quæ ecclesia bona reformatores se allaturos dicunt.

Quod si in hac re consisterent: pij, ac religiosi haud immerito haberi possent. Verum redeunt ad se cōtinuo: internos animorum affectus manifesto produnt: in hostium donis, nonnihil fraudis semper latitare ostendunt;

Quæ ecclesiæ bona reformatores se allaturos dicunt.

dunt: præclara pollicentur, vt facilius fallant: & cum maximis beneficijs coniungunt mala funestissima. In singulis enim ecclesijs aut duos, aut plures pastores designari postulant. Sed vnde quæso tanta profluet doctorum copia? Quonam pacto alentur? Alternisne diebus, an simul docebunt, & regent? Eodemne tempore animorum suorum lumen ecclesiæ ostendent? An quod de Castore, ac Polluce narratur: alter se in tenebras abdet: vt alterius lumen clarius affulgeat? Si dissentient inter se, quantas contentionum flammas excitabunt? si consentient, infœlicem plebeculam quam misere prement? Nec quidquam certe boni, ex hac pastorum coniunctione orietur. Quanto sapientius populus Romanus, qui cum Arrianorum defensor Constantius, ecclesiam Romanam à Liberio, & Fœlice simul gubernari vellet, continuo exclamauit: vnus deus: vnus Christus: vnus episcopus. Pergunt adhuc, & his pastoribus doctores adiungunt: quos tum veram, ac germanam dei sapientiam docere: tum ancillantes theologiæ artes alijs commonstrare volunt. Sed rationes, quibus certum esse doctorum munus ostendunt, tam leues, tam inanes, tam absurdæ, tam non solum à veritate, sed à veritatis specie alienæ sunt, vt contemni rectius, quam refutari possint. Quid enim aget iste doctorculus? aut quid tandem muneris obibit? Docebitne artes liberales? Præclaram id vtilitatem artificibus, & agricolis afferet. Explicabit theologiæ mysteria? Inuadet pastoris munus. Erant olim doctores in ecclesijs celeberrimis, quemadmodum & nunc sunt in academijs. Sed si quis huius generis doctores in singulis parœcijs collocare velit: non inutilia solum tentabit, sed plane ἀδύνατα. Illud vero est mirificum, quod designant pastores, quos docere vetant. Admonent eos, vt munus sibi commissum recte, & fideliter

obeant:

obeant: sed si præstent id, quod officij sui ratio inprimis postulat, id crimen erit capitale. Paruæ sunt hæ res fortasis dicent: sed magna est culpa, cum humana pro diuinis: errorum commenta pro veritatis oraculis, ecclesiæ temere obtruduntur.

Ministros à populo designari lex diuina nō præcipit

Quod si non alia præter hæc proponerent nobis reformatores: multo facilius perferri possent. Verum his tentare mihi videntur patientiam nostram: vt securius postea fœdiora doceant. Nam vt leuis initio morbus, si non quamprimum sanetur, crescit indies, & grauiores morbos parit: ita errorem semper producit error: & cum absurdius quidpiam concessum fuerit, permulta continuo sequuntur absurda. Quod in his hominibus manifesto apparet, qui non solum inutili pastorum turba Dei ecclesiam grauiter premunt: sed pessimum inducunt pastores designandi morem. Eos enim, qui reum cœlestium procurationi consecrantur: vel a toto populo: vel a nouis illis, quæ effinxerunt synedrijs, eligendos dicunt. Qua in re non tam molestum est, quod duabus quasi machinis, communem piorum sententiam oppugnant: quam iucundum est, quod in potissima disciplinæ parte dissentiunt inter se. Nobis autem a contentionis æstu procul dimotis, acerbas eorum dissentiones, ac pugnas intueri licet. Eorum enim alij a populo deligendos pastores censent: alij a synedrijs. Illi si non omnium consensu ministri designentur, grauem ecclesiæ iniuriam inferri dicunt: hi ad ecclesiæ decus pertinere existimant, vt tanti momenti negotium pauciorum arbitrio committatur. Illi popularem electionem, haud paruam esse dicunt eius libertatis partem, quam sanguine suo Christus nobis comparauit: hi populum quidem totum, initio hanc eligendi potestatem habuisse: sed ad ecclesiasticum senatum, cui sui etiam regendi quasi habenas quasdam tradidit, eam postea transtulisse affirmant.

Ministros à populo designari lex diuina nō præcipit

Quibus in verbis plura sunt absurda, quam vt facile dinumerari posint. Primo enim popularis illa ministrorum designatio, Christianæ libertatis pars sine horrenda impietate dici non potest. Falsum deinde est perspicuè, quod populum eligendi libertatem à Christo accepisse: & authoritatem suam in synedria deriuâsse affirmant. Cum etiam populum potestate sese exuisse dicunt, & tamen necessarium esse in electionibus existimant populi consensum: disidentia loquuntur, & prorsus pugnantia. Illud vero cuius est ingenij, siue iudicij, quod nullam esse in sententijs suis discrepantiam ex eo concludunt: quod siue electionem permittant omnibus, siue paucioribus: electionem tamen, quæ fit per vnum, semper condemnant? Sic enim optime inter se consentient Atheismus, & superstitio, quod cum Christiana pietate semper vtraque confligunt: sic germani erunt fratres, Puritani, & Machiauelli fœtus, quod vnam dei ecclesiam simul oppugnant. Ius (inquiunt) eligendi populus initio habuit. Quonam pacto habuit? Accepitne à Christo? Quid ergo non retinuit? Quîd rem, quam omnibus esse communem oportuit, paucio rum permisit arbitrio? Quîd abiecit munus, quod à Christo accepit? οὔτοι ἀπόβλητα ἐςὶ θεοῦ ἐρικυδέα δῶρα quæ donantur à deo repudiari non decet. Eligendi libertatem iniuste sibi arripuit? Quod suum non erat quonam iure alijs potuit elargiri? Sed si creandorum ministrorum potestatem à populo synedria acceperunt, quìd omnem suam authoritatem à deo optimo maximo accepisse iudicantur? Idemne erit cœleste, & terrenum? Idemne à deo, & hominibus institutum dicent? Idemne caducum, & immortale? Diuinum, & humanum? Præscriptum in scripturis, & profectum ab hominibus esse poterit? Num quem ordinem à cœlis profluxisse semper affirmârunt: cum iam filium

esse

esse contendent totius populi ? In Affrica olim cum in locis calore nimio perustis: & siccitate aridis, cuiusque generis animantia ad sitim aqua restinguendam conuenirent: ex varia disparium naturarum commixtione informes fœtus enatos: & inuenustas rerum species procreatas fuisse, constans fuit opinio. Et profecto si a populo procreatum fuit id, de quo loquimur presbyterium: vel informe monstrum: vel spurius scelere, & nequitia partus rectissime habeatur. Maxime vero impudentes in eo se produnt: quod cum optimam electionis formam se nobis allaturos affirment: quid de eligendi ratione in scripturis præscribatur, explicare non possunt. Quæ enim pro populari electione a nonnullis afferri solent, ea nascentium rerum primordijs fuisse accommodata: sed nostræ ætati minus apte conuenire, celeberrimi inter Puritanos contendunt. Et minus adhuc inter eos constat: nec vnquam fortasis constabit: num a toto populo, an a synedrijs ministros designari oporteat. Parum enim fœliciter hanc litem expediunt, qui seniores præire, & populum subsequi: qui seniores eligere, & populi consensum adhiberi præcipiunt. Quam enim vim habebit iste populi consensus? irritane erunt omnia, quæ instituunt seniores, nisi populi consensione approbata fuerint? Quid populi ergo authoritatem in synedria translatam dicunt? An potius ociose spectabit populus, & quæ geruntur tantum audiet? Barbaro igitur more, & tanquam mancipia, Christianos homines presbyteri tractabunt: si electionibus interesse eos, & quæ decernuntur ab alijs approbare cogent. Imo vero (inquiunt) de his, qui eligentur, sententias ferent: & quid in quoque reprehendant, libere explicabunt. Quonam pacto sententias suas proponent? vt iudices? Synedria haud permittent. An vt testes? quid ex ea re boni proueniet: cum de his quæ dicentur a populo, seniores iudicabunt? Qui homi-

Ministros à populo designari lex diuina nō præcipit.

Ministros à populo designari lex diuina non præcipit.

homines nisi vehementer me fallit mea opinio: quos semel approbârunt, constantiæ causa semper defendent: sique eorum ingenia, ac mores probe perspexi, de iudicio suo iudicium fieri minime patientur. Illud tantum erit in hac re commodi: quod populus falsa, & inani spe diu illectus, a presbyterijs se contemni tandem intelliget.

Hic nimis tenuiter colligere argumenta videar: neq; id antea nesciebam. Sed ante oculos vobis proponere volui insignem eorum impudentiam, qui perinde quasi diuisus esset Christus: aut pugnantia doceret euangelium: aut quæ inter se dissentiunt, simul vera esse possent: sententias maxime dissidentes a Christo profectas: comprehensas in euangelio: & sempiternæ veritati consentaneas fingunt. Verum causæ nostræ robore, non infirmitate aduersariorum niti oportet. Dissidentes opiniones, cum plus vna, vera esse non possit, reformatorum errores facile conuincent: sed nostram causam haud reddent meliorem. Vt explicemus igitur breui, quid de tota hac re sentiamus: in designandis ministris, duo potissimum obseruanda dicimus. Electionem, sub qua etiam vocationem comprehendo: & ipsam siue ordinationem appellare libeat, siue consecrationem. Ac horum neutrum a populo recte pertractari posse, certissimis argumentis manifestum fiat. Nam ministros tantum a ministris rite consecrari, id certissime ostendit: quòd sanctarum rerum administratio, res sit sacra, & a quibusuis temere suscipi non debet: & quod nemo, quæ non habet, alijs largiri potest. Et toti profectò populo, non minus iuste sacra obire: quam sacrorum tractationi alios consecrare licet. Quamuis autem electos fuisse interdum cœlestis verbi ministros a populo, nonnunquam a regibus, & aliquando etiam ab alijs, veteres historiæ declarent: declarant tamen simul, quod ordinationem, vt rem plane sacram, ac spiritualem solis episcopis committen-

mittendam omnes semper pij iudicârunt. Quo æquiores in me esse oportet meos reformatores: si præreptam episcopis hanc ordinandi potestatem ad seniores transferri: aut cum senioribus, & populo simul communicari flagitiosum putem. Sed si omissa ordinatione, perpurgare aliquantulum ministrorum electiones, & varijs, quibus onerantur, malis releuare diligenter laborarent: & gratior bonis omnibus eorum opera, & ad subleuandas meas calamitates multo aptior videretur. Ius eligendi, vsurpatur abijs, qui se patronos appellant. Qui homines quonam iure ad istud ius peruenerint, non libet referre: quam pie administrent, non est necesse narrare. Me enim reticēte exclamat Christianus orbis, quod nihil mali in ecclesia iam versatur, quod non primò ab his patronis profluxerit. Opes ecclesiæ auferunt: & in ecclesiam inferunt imperitiam. Quæ virtuti donari oportuit, nequitiæ diuendunt: ecclesiæ ruinis palatia extruunt: pietatis naufragijs opes conquirunt: & communi miseria ad summam perueniunt amplitudinem. Si publici boni desiderio permouentur reformatores: quîd hos homines non reprehendunt? quîd tam grauem non insectantur nequitiam? Digna certe est res, in qua ingenij neruos intendant, & omnem expromant dicendi impetum. Verum non cum improbitate, sed cum ordine maxime salutari confligunt: & episcopalis dignitas, non ecclesiæ miseria horum animos offendit. Sed vt ad propositū reuertamur, ministros a synedrijs, non a populo inaugurandos dicunt. In qua tamen re, vt in omnibus alijs, & scripturæ repugnant, & piæ vetustati. De his enim presbyterijs scripturæ, vt post apparebit, nihil præcipiunt: & omnes omnium ætatum patres, quos fidissimos scripturarum interpretes existimare conuenit, ab episcopis ministros semper fuisse consecratos dicunt. Mancum, & imperfectum est id presbyterium, quod non pastores, doctores, & illos ambigui generis, ac sortis seniores compre-

Ministros à populo designari lex diuina nō præcipit.

Ministros à populo designari lex diuina non præcipit.

prehendit. Neq; vero quicquam a synedrijs institui dicunt, quod non ab his hominum generibus instituitur. Sed quonam iure seniores nostri alios ordinent: si non prius ipsi ordinati fuerint? quanam ratione alios consecrent: qui in hominum ecclesiasticorum numero haberi non possunt? & quis eos dicet esse homines ecclesiasticos, qui post aliquot annorum spacia, commissa sibi munera deserunt, & ad pristinum reuertuntur viuendi statum? Haud necessarium esse in singulis ecclesijs doctorum munus antea demonstraui. Relinquuntur ergo tantum pastores, qui ordinent. Ex quo patet nec a toto populo, nec a synedrijs ministros consecrari posse.

Sed quid? de electione quid dicendum? Annon ea vel populo, vel synedrijs recte permittatur? Quod ad synedria attinet, ea quidem, nec a Christo instituta, nec cognita vetustati fuisse constat. Quonam ergo pacto ministrorum creandorum potestatem, cum nondum sata essent, habere potuerunt? Episcopos (fateor) populus nonnunquam elegit. Quod non est mirandum. Nam vt eligeret excitauit tumultus: commisit varias cædes: & infinitis prope malis turbauit Christianam rempublicam. Verum non exemplis, sed regulis adhærere oportet: nec quid aliquando factum fuit, sed quid perpetuo fieri debet, perquirendum est. Lycurgus, cum postularet ab eo quidam, vt Spartam multitudinis arbitrio, ac potestati regendam permitteret: tu (inquit) prius, quæ domi tuæ aguntur, omnium arbitrio permitte: deinde si ista ratio tibi placuerit, multitudinem omnium rerum dominam constitui postula. Et ego ab his hominibus, qui sine populi consensu ministros haud designandos censent, hoc vnum petam: vt sine liberûm, ancillarũ, seruorum consensu, nihil priuatim domi agant. Ita enim quidnam boni ex ea gubernationis forma in ecclesiam deriuari posit, multo certius iudicabunt.

Quere-

Ministros à populo designari lex diuina nō præcipit

Querebatur olim Isocrates, quod Athenienses, cum de priuatis rebus disceptarent, homines maxime prudentes in consilium adhibebant: sed cum de publicis negotijs instituta esset disceptatio, scurras tantum audiebant, aut commœdos, aut ridiculos mimos, aut alios his ineptiores. Mihi etiam similiter lamentari licet: quod communia, quam domestica: & quæ ad salutem spectant animarum, quam vlla alia, sagacius perquiri, & facilius disponi posse multi iudicant. Omnes nempe imperatores hac mundi senecta natura gignit, nullos milites: qui cymbam in portu gubernare non possunt, in Euxino ponto classem regent: qui in priuatis rebus leuitatem suam, ac nequitiam aperte produnt, optime sustinebunt molem consilij publici: qui res ante pedes positas ignorant, iudicabunt de cœlestibus: & homines ex omnium scelerum colluuione concreti, quibus nihil vnquam imprudentius natura peperit, & quibus nihil fœdius sol aspexit: de reformanda ecclesia leges ferent.

Si in hac controuersia rationes vobis afferri cupiatis: eos designare, qui ecclesiam regent, summæ videtur potestatis: sed summam in ecclesiasticis rebus potestatem quis populo committet? Episcopi sunt pastores, & populus ouium nomine appellatur: præclaros (credo) pastores ipsæ oues sibi asciscent. Si exempla malitis sequi: en vobis Christus, sine populi consensu apostolos delegit: ecce apostoli, designatos episcopos ad absentes mittebant. Quos ab ijs, inter quos versabantur apostoli, haud delectos fuisse constat. Quam enim authoritatem in loca, terra, marique disiuncta habuerunt? Ab illis autem, ad quos mittebantur, designari non poterant, Cum etiam quod infinita olim mala attulit, id iam salutem, nisi mutatæ prius sint rerum naturæ, afferre non possit: non est quod quidpiam boni à populari electione expectemus. Varios enim tumultus, permultas dimicationes, funestas cædes, & maximam

Ministros à populo desig-nari lex di-uina nō præ-cipit.

omnium fere malorum illustrem hæc vna res excitauit. Ita vt hanc electionem, si mansisset adhuc inuiolatè, quamprimum rescindi oporteret, sed cum antiquata sit, & expulsa, nullo modo reuocari debet. Vnde ergo dicat quispiam, eligendi potestatem populus obtinuit? Adhibebatur primo populus, vt de eligendorum vita, ac moribus testimonium ferret. Qui mos in ecclesia adhuc retinetur. Episcopi deinde, vt populum pastoribus suis obsequentiorem efficerent: nominandi quem vellet, potestatem illi permittebant. Quod haud male fortassis initio factum fuerat, sed infinita prope postea mala peperit: Neque enim modum, neque mediocritatem retinuit popularis licentia: neque vllis terminis coerceri potuit. Quo plura obtinuit: eo plura concupiuit: & quod prius accepit, id quasi gradum esse voluit ad impetranda alia, donec omnem eligendi potestatem ad se rapuisset. Quod ferendum ego calamitosis temporibus, non laudandum iudicaui: & tuli permulta, quæ resecari cupiebam, meliora interim expectans tempora. Sed cum eorum, qui episcopales sedes ambiebant, cupiditate, & populi in varias factiones scissi studijs, permagna rerum confusio excitata esset: malis meis permoti Christiani principes eligendi potestatem populo iustissime ademerunt. Rationes eas, quæ pro populari electione afferri solent, è meis nonnulli tam docte refutârunt: vt aliquid de hac re a nobis dici minime sit necesse. Referre enim eadem, quæ alij sæpius attulerunt: aut his quæ sunt optima, quærere meliora, labor irritus habeatur.

Saluti meæ (vt videtis) reformatores grauiter obstant, & officiunt: dum dispulsam fœliciter popularem electionem in Christianam rēpub. cœlo terraq; prohibentibus, reuocare contendunt. Nam si pijs omnibus dulce sit nomen pacis: & res ipsa tum iucunda, tum salutaris: quid populari electione funestius; quæ contentiones, & discordias vbique gignit? Si ordinis venustatem, & ele-

gantiam,

gantiam, cum in omni hominum societate, tum in dei domo maxime collocari oporteat: quis imperitam multitudinem rerum ecclesiasticarum dominam, & gubernatricem constituet: quæ nunquam potestatem adipiscitur: quin turbulentam confusionem statim excitat? Eos certe iuris diuini antistites potissimum designari conuenit: qui ad coelestium rerum intelligentiam alios pie informent: & omnibus discendi cupidis, quasi oracula esse possint. Sed quonam pacto, vel de eruditione imperiti, vel de sapientia stulti recte iudicabunt? Ministroru improbitas permultas Christi ecclesiæ calamitates inuehit, & importat. Sed vereor ego plurimum, ne in populari electione, improbi numero plures, sanctioris vitæ homines vincant: & ministros voluntate, studiis, vita, moribus sibi maxime consentientes designent. Grauia profecto sunt hæc mala: & Christianæ reipub: statum haud mediocriter labefactant. Verum his reformatores nostri, ne parum fortiter nobis nocuisse videantur, adiungunt etiam alia. Nam vt perturbata eligendi ratione, publicam pacem, & incolumitatem perrumpunt: ita nouis quibusdam senioribus, quos in ecclesiasticorum hominum numero collocant, & verbi ministros esse non permittunt, inuitam me, ac reluctantem subseruire cogunt.

Ministros à populo designari lex diuina nō præcipit.

Quod inusitatum gubernationis genus, eam ob causam populari electioni adiunxisse mihi videntur: vt varia mala per turbulentas electiones in ecclesiam immittere: per seniores augere, & confirmare posint. Maximas contentiones popularis electio excitat: è contentione cōfusio seniorum opera oritur. Flammas, & incendia in ecclesiā popularis electio immittit: quæ incēdia presbyterium non aqua, sed ruina restinguet omniū virtutum. Sed non tam bonis displicet nouū hoc seniorum genus, quam placet Puritanis. Nam cum omnia, quæ nobis proponunt, plurimum semper dilaudent: & nihil a se in

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

in hac causa postulari dicunt, quod non pietati consentaneum haberi possit: præclarum tamen hunc seniorum consessum tanti faciunt, vt eo vno totius ecclesiæ salutem niti existiment. Id vt confirment, ecclesiastici huius senatus originem primo commendant: quam plane cœlestem esse dicunt. Deinde muneris illius, quod assignatur his hominibus, sanctitatem efferunt: tum hunc ordinem ecclesiæ salutarem futurum copiose demonstrant. Cœlestem seniorum esse originem ex eo concludunt, quod inter Iudæos primum a deo optimo maximo constituti: & a Christo postea in ecclesiam translati fuerant. Sanctissimum esse eorum munus declarant, quod morum sunt censores: quod custodes disciplinæ: & quod profligati pudoris homines ex piorum cœtu eijciunt. Vtilissimum vero ecclesiæ futurum hunc ordinem demonstrant, quod homines quosdam prudentia præstantes, & synceros fide, communibus quasi in speculis collocari oporteat: vt aliorum mores obseruari: peccata corrigi: & a profanis sancti, ac religiosi separari possint. Sed haud absurde (vt mihi videtur) ab his hominibus sciscitari possim, quanam ratione id diuinitus apud Iudæos constitutum dicunt: de quo nec sacrosanctæ scripturæ: nec scriptores Iudæi, qui res patrias optime nôrunt: & in gentis suæ honorem permulta memorârunt: nec ipsi Talmudistæ, qui tam curiose res conquirunt: vt nonnulla potius affinxisse, quam aliquid occultasse videantur, haud vllam omnino mentionem faciunt. Dicant etiam vellem, quonam iure ijs, qui non sunt verbi ministri, ecclesiæ claues concedunt: & quonam exemplo ex piorum cœtu alios illi eijciant, qui nec salutarem Christi gratiam pœnitentibus publice proponere: nec contumacioris ingenij hominibus cœlestem iram aperte denunciare possunt.

Illud vero capitale est, & rationem excludit omnẽ, ac vniuersæ etiã theologiæ bellũ indicit: quod Christi vicarios, & diuini iuris antistites eos esse dicunt, quos de infima

plebe

plebe deligẽdos cẽsent: & quod sanctissimis muneribus, ac officijs eos cõsecrãt: quos ad alia munera postea reuerti patiuntur. Presbyterium apud Israelitas, diuinitus fuisse institutum dicunt. Sed quî probant? Nusquam enim in scripturis id comprehensum extat: & quod scripturarum authoritate confirmari non potest, necessario respuendum reformatores docent. Qua in re duplicem nobis iniuriam infligunt: tum quod antiquitatis canitiem nec vt iudicem controuersiarum, nec vt factorum testem audiendam censent: tum etiam quod opinionum suarum commenta pro oraculis proponunt diuinissimis. Sed quando tandem presbyterium in populo Israelitico institutum fuerat? Ante legem, an potius sub lege? Ante legem si dicant, repugnant rationi. Quis enim erat seniorum vsus, cum publice sacerdotes consecrati non essent? Institutos constat sacerdotes, vt Dei populum fideliter, ac pie informarent. Seniorum vero (vt reformatores dicunt) in eo potissimum versatur munus: vt sacris interdicant illis hominibus, qui cœlesti doctrinæ minus religiose obsequuntur. Præire autem doctrinam, & disciplinam subsequi conuenit: informari primo homines ad pietatem, tum si contumaces fuerint, a sacris excludi oportet: & docenda prius est obedientia, quam delicta iuste vindicentur. Nam pœnas, quam leges: carnifices, quam senatores: carcerem, quam senatum prius instituere, est ab omni ratione alienum. Non tam laudandi sunt (inquit Isocrates) qui perquirunt diligenter, qua suppliciorum acerbitate delinquentes reprimere, ac coercere possint: quam qui omnibus modis cauent, ne quid pœna dignum ab vllo committatur. Exodi quarto Mosem, & Aaronem omnes seniores Israelitas congregasse legimus. Sed quos tandem seniores? eos (credo) qui patres erant familiarum, & maiores etiam natu: & qui vsu, ac prudentia reliquis præstabant. Quid hi ad seniores Puritanos? Sub lege, vt triplicem senatum, sic tria seniorum genera

Ecclesiastici cum, quod reformatores requirunt, synedrium nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Ecclesiasti-
cum, quod re-
formatores
requirunt sy-
nedrium, nec
institutum fuit
apud Iudæos:
nec collocatum
vnquam in
Christi eccle-
sia.

fuisse constituta accepimus. Erant enim in singulis ciui-
tatibus septem seniores: qui publica ciuitatis suæ negotia
admissis in societatem duobus Leuitis procurabant. E-
rant in quaque tribu seniores, qui authoritate alijs præ-
stabant. Erat etiam Hierosolymis synedrium septuaginta
seniorum, quod grauissimis regni negotijs nō interfuit so-
lum, sed etiam præfuit. Ac priora hæc seniorū genera ad
se nihil pertinere affirmant reformatores: sed magnum
id synedrium in ecclesiam a Christo translatum dicunt.
Quod quam absurde affirmetur, paucis quæso aduertite.
Vnum erat synedrium ingente tam numerosa colloca-
tum: synedria reformatores in singulis ecclesijs collocā-
da censent: ciuilia negotia id synedrium administrabat:
à nostris tantum ecclesiastica pertractari possunt: reos
id absoluere, vel capitis condemnare poterat: sed tan-
tum sibi non arripiunt nostra presbyteria.

Quod autem Iudaicum synedrium vitæ, & necis po-
testatem non habuisse dicunt: & quæ scripturis conti-
nentur, minus accurate expendunt: & repugnant Iose-
pho, quo locupletior rerum Iudaicarum testis citari non
potest. Is autem de hac re ita loquitur κωλύει ὁ νόμος
ἄνθρωπον ἀναιρεῖν, καὶ πονηρὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον κατακριθεὶς τοῦ-
το παθεῖν ὑπὸ τοῦ συνεδρίου, hoc est, vetat lex hominem
licet improbum interficere, nisi prius à synedrio con-
demnatus fuerit. Sed hîc æquitatem à nobis violari cla-
mitabunt: quod cum ecclesiastica synedria oppugnare
suscepimus, loquamur tantum de ciuilibus. Distincta e-
nim apud Iudæos hæc duo synedriorum genera: & in ci-
uilibus, causas tantum ciuiles, in ecclesiasticis vero eccle-
siasticas fuisse tractatas dicunt. Qua in re vtrum nequi-
ores sunt, quod omnia, quæ comminiscuntur, diuinitus insti-
tuta affirmant: an imprudentiores, quod res maxime du-
bias pro argumētis capiūt: an audaciores, quod quæ nun-
quam concedentur, tam auide arripiunt: an superbia magis
sint inflati, quod rectius se de his rebus, quam antiquos
omnes

omnes iudicâsse existimant, dici vix potest. Quibus e-nim argumentis, distincta à ciuilibus, apud Iudæos fuisse ecclesiastica synedria ostendent? scripturisne? maxime id vellemus: sed nusquam id scripturæ docent. An testimonijs Iudæorum, qui res Iudaicas descripserunt? Magnum illi synedrium tum de ciuilibus, tum de ecclesiasticis iudicâsse affirmant. An priscorum patrũ authoritate? non ita multis abhinc annis in terris caput presbyterium extulit, nihil vnquam patres de eo cogitârunt.

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Quo igitur se vertent? Nam & antiqui omnes aduersantur huic causæ: & nec Caluinum, summi licet iudicij hominem: hominem tamen, & communi subiectũ conditioni humanæ infirmitatis: nec Theodorum Bezam acerrimo quidẽ ingenio præditũ, sed cæcum amore presbyterij: nec Lambertũ Danæum, qui misere se torquet, vt presbyterium reperiat, neq; tamẽ proficit hilum: multo vero minus reformatores Anglos, qui ad aliorum argumenta nihil præter malitiam attulerunt: contra antiquitatem, contra omnem rationem, contra scripturas audiendos censemus. De puris, & impuris sacerdotes sententias ferebant. Quid hoc ad seniores, nisi sacerdotum munus, & officium obeant? Summus sacerdos iudicabat de ecclesiasticis: sic etiam iudicabat de ciuilibus. At in synagogis presbyterium se reperisse existimant. Id si concederem, quod argumentis tamen nunquam extorquebunt, misere adhuc ruerer presbyterij causa. Nam synagogas Iudæi, cum reuersi essent ex Babilone, erigebant: & prior eas nunquam aspexit ætas. Imo vero inquit Beza fuisse initio per Mosem distinctos istos duos consessus: neque mere sacra ciuilibus permixta, illud quoque manifeste declarat: quod ciuilia illa quidem iudicia apud ciuitatum portas: sacra vero in synagogis exercebantur. Sed tantæ eruditionis hominem in temporum ratione tam imperite errare, quis non mirabitur? Quando enim institutus fuit sacer-

hic

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutum fuit apud Iudæos: nec collocatū vnquam in Christi ecclesia.

hic seniorum consessus? vel ante legem, vt nonnulli affirmant: vel vna cum Araonis sacerdotio, vt communior videtur reformatorum sententia. Synagogas autem non prius fuisse institutas patet, quam populus ex Babilone reuersus esset. Si vera ergo sint, quæ tam audacter Beza affirmat: considebant in synagogis seniores, cum nondum essent synagogæ. Id tam aperte absurdum, si Geneuæ pro vero approbari posit: gaudeo me haud nimium oblectari Geneuensibus. Nec vero maiorem in eo declarat prudentiam, quod de quorum ortu nihil certi affirmare potest: eos in synagogis, vt iudices consedisse dicit. Educit enim seniores in forensem strepitum: priusquam vel in cunis vagire potuerunt. Nisi ergo nondum nati, in locis nondum institutis, de rebus non cognitis sententias ferebant: ruet necessario presbyterij toties laudati decus. Sed forsan, vt quod aliquando verum fuit, verum semper futurum, litigiosi quidam dialectici perstrepunt: ita quod aliquando futurum fuit, id perpetuo fuisse in Geneuensi schola docetur. Digna profecto sunt hæc reformatoribus: digna presbyterijs: sed Bezæ prudentia sunt longe indignissima.

Verum ego & eruditi, & senis, & Bezæ erratis facile possem ignoscere: si non id presbiterij genus, quod animi pene superstitione adorat: ab omnibus ecclesijs consimili modo adorari vellet. Sed cum eam disciplinæ formam, quam non ita prudenter Geneuenses approbārunt, in omnibus locis collocare contendat: cum Christianos principes vt se, ac sua omnia presbyterij subijciant importunitati, adhortari non metuat: Cum Archiepiscoporum, & Patriarcharum munera, quæ maxime salutaria esse, diuturna declarauit rerum experientia, omni studio oppugnet: cum sanctissimos patres, antiquitatis canitiem, & Christiani orbis consensum, iudex a seipso delectus condemnet: non minus certe bonis omnibus vnius Bezæ: quam vni Bezæ totius ecclesiæ iudicium licebit

cebit improbare. Quid enim in hac ratione ponderis, vel vt de pondere non loquar, quid in hac ratione rationis contineri putemus? Duo, inquit Beza, synedria fuisse à Mose instituta, inde quoq; patet: quod non vno, & eodẽ tẽpore fuit vtrumq; institutum: & quod iudiciũ ciuilium numerus editur: synedrij vero ecclesiastici numerus nõ editur. Ad eundem namque modum licebit concludere Bezam, & Hippocentaurum ecclesiam Geneuensem iam regere, & moderari: quod simul Beza, & Hippocentaurus nati non sunt: & quod Bezæ ætas describi potest: Hippocentauri non potest. Sed argumentorum suorum leuitatem, nec ignorauit Beza, nec dissimulauit. Ætate enim admodum affecta se esse conqueritur. Expectabam, vt cum Nestore exclamaret: Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ ἀθηναίη, καὶ ἄπολλον ἡβῷμ' ὡς ὅτε. & recte vsurpet illud Spartanorum senum: ἄμμες ποτὲ ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι. Illud vero est minus venustum, quod cum corporis infirmitate confligit ardor mentis: & quod exhaustis iam viribus, iuuenili adhuc presbyterij amore flagrat. Εἴδομεν καὶ πρεσβύτη πρὸς τὸ γῆρας μάχην, καὶ ὥσπερ ἕλκουσαν πρὸς τὸ σῶμα τὴν διάνοιαν, καὶ ὀνειδιζομένην τὴν ἀσθένειαν ὑπὸ τῆς προθυμίας.

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudaeos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Absurde ergo reformatores è Iudæis in Christi ecclesiam id translatum fuisse dicunt, cuius ne leuissima in illo populo reperiuntur vestigia: sed absurdius Christum Iesum huius translationis authorem fingunt. Sacræ enim scripturæ id nusquam perhibent: vetustiorum nemo, qui vt Christo propiores, ita ab hac labe remotiores vixerunt, id nobis confirmat: & nulla ratione quod nunquam extitit, transferri potuit in ecclesiam. Varia scripturarum testimonia distorquent reformatores, vt presbyterium certius stabilire possint: sed frustra laborant in causa tam perdita: id quod proponunt, haud vnquam efficient. Quamuis enim seniorum in scripturis occurrat interdum nomen: si omnia tamen,

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudaeos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

quæ de senioribus dicuntur, de suis senioribus dici existiment: stultitia illum vincunt: qui omnia, quæ vidit, sua esse exclamauit. De scripturis depulsi ad patres confugiunt: & eorum testimonijs seniores in ecclesia collocare contendunt. Sed hîc omnia sibi sentiunt maxime aduersa. Nihil enim à patribus desumi poterit, quod presbyterijs, vel leuissime videatur fauere. Præsident apud nos (inquit Tertullianus) probati quique seniores: honorem istum testimonio, non precio adepti. Sed quid per seniores præsidentes intelligit, in libro de corona militis planum facit: cum Christianos non de aliorum manibus, quam de præsidentium, eucharistiam olim sumpsisse testetur. Ciprianus sæpissime ad presbyteros, siue seniores scribit: sed quosnam intelligit seniores, aperte declarat: cum eos sacramenta administrâsse fateatur. Alia etiam testimonia ex antiquis patribus desumunt: sed tam infœliciter omnia: vt qui patrum scripta diligenter perlegerit: non possit non inimicissimus fieri reformatoribus. Cum ergo presbyterium hoc nec institutum apud Iudæos: nec translatum in ecclesiam: nec cognitum apostolis: nec ab ipsis patribus approbatum fuisse constet: à vobis (quæso) mei filij tanquam absurdissimum hominum flagitiose errantium, & erroribus suis omnia perturbare cupientium commentum tandem repellatur.

Nec leuior certe habendus est error, quòd senioribus cœlorum claues, & ligandi, ac soluendi potestatem attribuunt. Has enim claues duntaxat illis attributas constat: qui cœlestis regni mysteria rite, & legitime dispensare solent. Sed cœlestis regni mysteria, quis legitime ab illis dispensari dicet: qui nec dei legati sunt: nec diuinã alijs voluntatẽ proponunt? Per ligãdi, ac soluendi potestatẽ, vel authoritatem iudicandi de aliorũ delictis, vel ministeriũ quoddã proponẽdæ Christi misericordiæ, & denunciandæ etiam iræ designari, omnes affirmant.

At soli diuinæ voluntatis internuncij, salutarem misericordiam proponere, & cœlestem iram denunciare possunt: haud alij ergo, præter verbi ministros, homines improbos, & sceleratos constringent; vel cõstrictos eximent e scelerum vinculis. Quod si in soluendi, ac ligandi ratione, iudiciariam quandam potestatem contineri dicent: nimium certe illis fauebunt, quibus nimium se iratos fingunt: nec quicquam tamen adiuuabunt causam. Nam vt soli sacerdotes apud Iudæos de lepra iudicabant: ita solos iam ministros verbi, de animæ lepra peccato oportet pronunciare. Hoc ius (inquit Ambrosius) solis est commissũ sacerdotibus. Idem affirmat Chrysostomus. Idem Augustinus. Idem omnes patres, qui de his rebus scripserunt. Et nemo ante Caluinum hoc vnquam improbauit. Cuius ego iudicium ita probo, vt non in omnibus sequi velim: ita reuereor, vt vni contra omnes assẽtiri temerarium existimem.

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Hîc Beza, ne in senioribus adornandis operam temerè, & frustra collocâsse videatur, ad auxilium illis afferendum rursus adcurrit. Atq; vt omnia, quæ a meis solent obijci, faciliùs dispellat, hos minutos presbytellos, etiàm cum maximam ætatis partem in artibus minùs ingenuis consumpserint, in docendis illis, quæ nunquam didicerunt, rectè versari dicit. Sed euertit prorsus suos seniores, dum eos nimis ornare studet: & dum in sacratis eos subsellijs collocare contendit, ex humanæ eijcit naturæ finibus. Nam si docendi munus seniores piè obeant: quid proponuntur nobis seniores, qui docere non possunt? Quid inter seniores, ac pastores hæc certissima statuitur differentia, quod illi in regenda tantum ecclesia versari, hi cũ regendi authoritate docẽdi rationẽ copulare debẽt? Ecclesiam (inquit Beza) doctrina pascunt præsbyteri, pastoribus, & doctoribus in iudicijs ecclesiasticis excercendis adiuncti. Imo quid differt illa publica verbi diuini prædicatio pastorum propria, ab ea quæ in

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

consistorijs exercetur; quam eo quod illa est communis coetui: ista priuatis ad presbyterium vocatis propria? Multa in his verbis prætéribo inepta, multa insulsa, & a ratione aliena, quæ alij, in quos potissimùm scripta sunt, & accuratiùs expendent, & fortiùs refutabunt. Ego autem, quæ ferenda cuiquam videantur, vt potero, feram: quæ dissimulari conuenit, dissimulabo haud illibenter: non in omnia, quæ inconsiderate dicuntur, seuerius inquiram: & cum Puritana disciplina, non cum Beza certamen mihi susceptum semper recordabor. Sed quis veritatis amans(mi Beza)vel ferre possit, vel dissimulare velit; cum docendi munus, & officium non minus presbytellis, quam pastoribus attribuas: & cum prædicationem illam, qua vtuntur presbyteri, a pastorali in hoc tantùm differre tam audacter affirmes: quod hæc apud totã multitudinẽ, illa ad priuatos quosdam in synedriũ adductos habetur. Recognosce enim mecum, quæ inconsideratissimè effudisti, & vel hunc esse verborum tuorum sensum, vel nihil te in Sarauiam dixisse intelliges. Qua in re vtrum grauiùs peccas, quod homines imperitissimos prædicatores constituis, an quod sacrorum procurationi semel deuotos ad alia remittis munera, dici vix potest.

Quanquã si paulo diligentius, perlustremus hos presbytellos, tam confuse permistum,& ex ordinibus maxime diuersis tam absurdè conflatum reperiamus eorum munus,& officium,vt cum clero,ac laicis simul coniungi, vel ab vtrisq; potius separari videantur. Ecclesiastici habentur:at ecclesiæ perpetuo non subseruiunt. Christi appellantur vicarij:at profanis se interponunt negotijs. Inaugurantur a presbyterijs:at postea ad priora repellũtur munera. Sed si vere sint homines ecclesiastici, quid non ita manent? si laici sint, quid ecclesiæ negotijs se interponunt? Ecclesiasticum munus cum semel susceptum fuerit, nunquam potest excuti: & quod sacrosanctis rebus consecratum est,id in alios vsus transferri vetat religio. Hic mecum videte,optimi filij,quam præclara sunt,

ac venusta, quæ nobis proponit nouum hoc presbyteriũ: quod non cum euangelio ẽ Syone, aut Hierosolymis prodijt: sed caput primo extulit in lacu Geneuensi. Occurrunt autem nobis, non tam ætate, aut prudentia, quã nomine seniores: qui vt maiorem sibi authoritatem concilient, originem suam cœlestem esse affirmant. Nobis deinde reclamantibus ad illud munus, & officium accedunt, quod solis sacerdotibus conuenire patet. Quod munus vt sine lege arripiunt, ita dimittunt rursus sine ratione. Nã vt quod ad sacerdotes proprie spectat, quibuslibet temere committi non debet: ita qui sanctarũ rerum procurationi consecrantur, sine maximo scelere cõcreditũ sibi munus nõ possũt deponere. Nos autẽ, vt hos homines a sacrorũ administatione depellere cupimus, ne cœlestem legẽ violemus: ita cũ in sanctissima adyta violẽtius irruperint, haud illibenter retinemus: ne nouorũ dominorum nouã stultitiam assidue cogamur ferre. Verum cum non vocantur, sponte irrumpunt: cum retinentur inhumaniter abscedunt: omnibusq; modis æquitatem oppugnant: & nostræ obsistunt voluntati. Iam vero ab eo munere quod error effinxit: malitia confirmauit: & hominũ omnia perturbare cupientium libido nobis importune proposuit: quis vllam vtilitatem prouenturam iudicabit? Quis ab illis hominibus boni quidpiam sperabit: qui aliena suscipiunt negotia, & negligunt interim sua? Ordinemne cõseruabunt: quæ ex munerum maxime disiunctorum confusione concreta, ac composita sunt? & quas res ad antiquam ecclesiæ faciem violandam inuidia excitauit: quis ab illis charitatem defendi putabit?

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Maiorẽ sibi authoritatẽ vendicasse videbatur pontifex Romanus, quã a liberis hominibus ferri posset. Nam cũ eam, quam Nicæna synodus sibi concessit, authoritatẽ iure obtinere potuisset: ea non contẽtus, plura appetiuit, & â se leges, & præscriptionum normas, a se diuini iuris interpretationem: a se rationem gubernandæ ecclesiæ peti voluit. Verum hunc, quem opinionis errore sibi

 effinxerat:

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt, synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

effinxerat principatum, oppugnârunt præstãti virtute viri, & consilio, fortitudine, ac prudentia effecerunt, vt iucundâ ego libertatis aurâ tandem recreata, Christo meo libere seruire possem. Quam tamen seruitutem in breue tempus dilatam putemus: si postquam veræ libertatis lux nobis affulsit, in tenebras recidemus multo grauiores. Nam si Pontifice Romano, satis fortiter, vtinam etiam fœliciter depulso, nouis presbyterijs seruire cogemur: commutati erunt domini, sed dominatio manebit. Quæ tanto grauior iudicetur: quanto miserius est a pluribus tyrannis, quam ab vno diuexari. In pontifice Romano hoc minime omnium ferendum fuit, quod infinita interdictionum mole terrarum orbem perturbauit: & decreta sua non minus religiose obseruari voluit: quam si lata essent a præpotenti numine. Quid ergo? nunquid moderatius sese gerent presbyteria? Imo vel maximos principes ẽ Christianorum cœtu eijcient: & sententiam suam promulgationem putabunt cœlestis sententiæ.

Quod si quis magis malitiose, quam vere dictum putet: velim is inspiciat libros, qui de hac re scripti circumferuntur: & syncere me intelligat, non accusatorie loqui. Caluinus is, qui tanquam Ixion alter cum errorum nube congressus, ambiguæ sortis presbyteros, tanquam semiboues viros, & semiuiros boues genuit: synedrijs tãquã Christi tribunalibus, ligandi, & soluendi authoritatẽ attribuit: & eos, qui hanc clauium potestatem habent, spiritum etiam sanctum habere dicit. Qua in re duo admittit peccata grauissima. Quorum alterum est, quod senioribus eam authoritatem concedit, quam non ferendam iudicat in Romano pontifice: alterum ab omni veritate est multo alienius: quod eos, qui spiritum sanctum non habent, clauium potestatem habere negat. Quamuis enim sacrosanctæ sententiæ veritatem, quæ vel condemnat contumaces, vel innocentes absoluit, a spiritu sancto proficisci fatendũ est: non omnes tamen qui vel

promit-

promittunt misericordiam: vel pœnam indicunt, sanctum habent spiritum. Nam vt improbi, ac scelerati diuinam voluntatem vere alijs declarare, ac recte etiam sacramēta administrare possunt: ita ab iniquissimis hominibus æquissima sententia interdum feratur. Veritas vbicunque est, à deo semper est: nec quisquam sine cœlesti ope quod rectum est, ac pium effari potest: sed si omnes, qui vera vnquam nunciârunt, spiritum habuisse sanctissimum videâtur: non homines modo improbissimos, sed execrandos etiam dæmonas spiritus sancti sacraria dicamus.

Ecclesiasticum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos: nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Sed quonam pacto tantam assequuti sunt dignitatem nostri seniores: vt eorum cōsessus tribunalia Iesu Christi haud iniuste appellari possint? Eruditione? ex quo hominum genere deliguntur, diligentius aduertant: & tum mentionem faciant eruditionis. Pietate? ordinem diuinitus institutum, & ecclesiæ maxime salutarem se violâsse recordentur: & iactent (si lubet) se esse pios. Facilitate, ac benignis moribus, quod omnia quæ dicentur, summa cum lenitate audient? Geneuensis synagogæ benignitatem perlustrent: quæ Iohannem Morellum, quod ligandi, ac soluendi potestatē ad ecclesiam, nō ad synedriũ pertinere affirmârat, sacris interdixit, eiusq; libros publice comburi iussit: & tum perfaciles in audiēdo se esse dicant. An vero cœlestis gratia hoc synedrijs priuilegium concessit: vt iustissimas de rebus sententias ferant? at hoc si nobis probare velint: tabulas diuini iuris, quibus id continetur, aliquando proponant. Ex his patet nō minus iam authoritatis his synedrijs attribui: quam vel pontificibus Romanis turpissimi adulatores tribuerunt: vel pontifices insolentissimi sibi ipsis arrogârunt. Interdictionis enim gladium in omnes sibi aduersarios stringent: consessum suum Christi Iesu tribunal esse contendent: sententiam suam cœlestis dicent sententiæ promulgationē: & non solum claues, sed vna cum clauibus spiritum sanctum se accepisse affirmabunt, ita vt in iudicando errare

non poßint. Quam præclaras ergo vtilitates, hanc tanto-pere expetitam reformationem nobis allaturam speremus: cum si quid antea fuerat boni, id penitus auferat: & retineat, quod turpissimum fuit inter pontificios?

Ecclesiastici-cum, quod reformatores requirunt synedrium, nec institutũ fuit apud Iudæos; nec collocatũ vnquam in Christi ecclesia.

Sed si vnum Papam Christianus orbis ferre non potuit: tum omnibus in locis presbyteria, eaq; omnia papali authoritate prædita, quonam pacto feret? & qui vni tyranno nullo modo seruire voluerunt: hinc infinitos patientur carnifices animarũ? Quonam enim alio appellem nomine homines infirmi ingenij, exigui cõsilij, minimæ eruditionis, & nullius prope vsus: qui cum maximã ætatis partem in sordidis artibus contriuerint, ad sacratissima subsellia, nescio quo spiritu agitati repente prosiliunt: & cum omni elegantiori destituti sint cognitione, ante ad iudicandum, quam ad cognoscendũ accedunt: & de controuersijs maximis, sibi autẽ minime perspectis audacter pronunciant: & iudicium suum a cœlesti iudicio nullo modo dissentire affirmant. Qui homines si tantũ imperitia laborarent, grauiter certe id nobis noceret: sed aliquo tamẽ modo ferri posset. Verum si ad imperitiam adiungatur scelus, & cum iudicandi errore, vitæ impuritas copuletur: extinguetur religio: corruet pietas: & per omnes, quæ supersũt, virtutũ reliquias, funestissima pestis peruadet. Si de fide disceptetur: quam salutares sententias de rebus sibi incognitis seniores ferent? si quæstio sit de alicuius vita, & moribus: vereor ego plurimum, ne condemnata sanctitate nequitiam absoluant: si eligendus sit minister, homines sibi simillimos, hoc est maxime imperitos asciscent.

Sed tu, tu Christe Iesu, quonam in statu versantur res nostræ, clementer perspice: & quam mihi, ac meis omnibus machinatur pestem reformatorum natio, a ceruicibus nostris quæso depelle. Satis iam tandem, satis horum hominum importunitatem pertuli: lætior mihi post tot ærumnas afferatur quies: & liceat aliquando ad tempora magis tranquilla deuenire. Quod si mea, ac meorum

peccata

peccata calamitate,& ærumnis perpetuo castigare, & hominines improbissimos iræ tuæ administros cōstituere omnino decreueris: tuæ ego voluntati nec possum, nec debeo aduersari. Semper tamen in hunc finem affligi petam, & calamitates meas eô referri flagitabo, vt augeatur innocentia, vt lætius florescat religio, vt defendatur fides, vt in domo tua ordo, ac venustas conseruetur, & vt admirabilis tua charitas, ac sanctissimus in humanum genus amor, certius cognosci, & religiosius adorari possit. Quæ nobis immittuntur mala, veteres nobis labes dimoueant:non aspergant nouas: a peccatis abducant:non trahant in flagitia:errores dispellant: non densiorem animis nostris offundant caliginē:ad te mi Christe nos perducant: non conijciant in fauces Satanæ. Sed quicquid me fiet, hoc vnum dulcissime Iesu a te peto: hoc vnum ancillæ tuæ lachrimis, mærori, & amori quæso concede: vt Puritanis illis reformatoribus, qui dum omnia mihi mala abripere promittunt, peccata mea flagitiorum cumulis, morbos meos vitalis emissione sanguinis, malorum scintillas maximis flammis, flammas incendijs, incendia ruinis depellunt, nunquam cogar subseruire. Quoniam etiam regum animi in tua manu sunt, ita vt eos in quam velis partem, tanquam aquarum riuulos diducere, & inclinare possis: hanc mentem maximis regibus, Christianis gubernatoribus rerumpub, & potentissimis gentium dominis, mi Christe quæso attribue: vt Puritanam reformationem tanquam puritatis omnis labem, & corruptelam ex finibus suis eijciant, & exterminent. *Precatio ad Christum.*

A vobis etiam serenissimi principes, quos legis suæ defensores, & ecclesiæ nutricios deus esse voluit, hoc supplex peto: vt primo ante omnia veritatem Christianæ fidei, tum vt fides ab hostili incursione fœlicius defendatur: sanctissimæ disciplinæ murum in ditionibus vestris collocare laboretis. Cœlestis illa, & quæ Christo maxime probatur, syncera fides, non alibi quam in scrip-

A Christianis rerūpub: gubernatoribus petit, vt à reformatorū, importunitate, audacia, & libidine Christi ecclesiam defendant.

turis diuinitus inſpiratis, perquiri debet. Nam vt quæ tacite homines intus cogitant, ex his quæ loquuntur certo colligimus: internæ enim animorum cogitationes, tanquam riuuli e corde, vt e fonte profluunt, eoque modo nobis indicari ſolent: ita ſempiternæ illius maieſtatis ſenſus, ac voluntas cœleſti verbo aperte nobis declaratur. Atque vt ſplendorem ſuum lumen ad oculos noſtros defert, & non per alia, ſed per ſeipſum perluſtrari ſolet: ita res diuinas, ſolus Deus nobis certo demonſtrare poteſt. Iam quod ad diſciplinæ vim, ac rationem attinet: non vna certe omnibus: nec eadem diuerſis: nec certa incertis: nec perpetua mutatis temporibus, & hominum naturis recte alligari poteſt. Sed diſciplinæ tamen prima velut initia, & quaſi fundamenta, ex quibus concluſiones haud infirmæ diduci poſſunt: & communes quaſdam regulas, quibus optime dirigatur omnis ſancte gubernandi ratio, ex diuino iure haud vitioſe peti conſtat. Quibus regulis, vtrum ſunt magis conſentanea, quæ omnes omnium ætatum patres conſtanter docuerunt: an quæ hominibus pauculis, ſine ſcriptura, ſine ratione loquentibus probari ſolent: & vtrum tutius retineri poſſunt, quæ puriſsimæ vetuſtatis veneranda canities, ſingulari conſenſione nobis propoſuit: an ea potius, quæ traduntur ab illis, qui nec cum alijs, nec inter ſe, conſentiunt: vos, vos clariſsimi principes, qui non magis poteſtate, quam ſapientia alijs omnibus præſtatis, omnium optime intelligere arbitror. Ac certe cum in conſpectum veſtrum adducentur homines illi, qui nulli veterum credunt, & ſibi in omnibus credendum clamant: cum ſcripturas a reformatoribus crebro citari, & diſtorqueri ſemper in alienos ſenſus: & ſanctiſsima oracula, ad tuendas horum opiniones ſæpius trahi, quam horum opiniones, ex ſacroſanctis oraculis pendi, & æſtimari intelligetis: cum vobis,

bis audientibus, veritati se constanter adhærere dicent, etiamsi contraria afferant, & maxime pugnantia: cum munera diuinitus instituta: & vt euentus comprobauit, inprimis salutaria radicitus euelli videbitis: vt quæ error effinxit, & malitia confirmauit, certiori in sede stabiliri possint: non dubito quid dimissa vobis e cœlo prudentia de tota hac causa iudicabit. Et firmiter etiam, ac sine vlla dubitatione mihi persuadeo: quod constantem patrum sententiam, quam inconsideratas quorundam recentiorum opiniones: antiquissima concilia, quam sine authoritate vestra collectas prouinciales synodos: perpetuum consensum orbis, quam temerariam consuetudinem paucularum vrbium: & decreta etiam sapientiæ illius, per quam regnatis, & iusta decernitis, quā bruta, & absurda opinionum cōmenta pluris æstimabitis.

A Christianis rerūpub gubernatoribus petit, vt à reformatorū importunitate, audacia, & libidine Christi ecclesiam defendant.

Refutaui, vt potui, vt volui, vt debui, quæ pro reformatrice disciplina afferri solent. Qua in re si nimio interdum studio longius prouecta: aut asperius in nonnullos inuecta videar: vel causæ quam defendo, sanctitas: vel opinionum quas oppugnandas suscepi, nequitia, omni me culpa, vt spero, liberabit. Nam cum ea sit virtutis præstantia, vt etiamsi a nullo laudetur, sit sua tamen natura semper laudabilis: cumque haud iustius nequitiæ præmium, quam infamia proponi posit: quo tandem iure improbetur ea oratio, quæ ad virtutem, tanquam ad rem omnium optimam, & pulcherrimam adhortatur: a vitio, vt a turpissima humanarum mentium labe, & corruptela deterret: & omnes eos, qui cœlestē legē sine metu, ac pudore violant; audacter reprehendit. Quod si parentes, tutores, & præceptores, ac magistri, liberos suos, pupillos, & discipulos recte nonnunquam castigare posint: quanto rectius fidelium mater ecclesia filiorum suorum, quos renascentiæ lauacro peperit: quos cœlestis verbi lacte aluit: quos æternæ fœlicitati spe, ac votis destinauit, improbitatem insectetur. Medici, cum ad sanandos ægros accedunt: non hominum statum, sed morborum

 natu-

Reformatrix disciplina ordinem omnem & venustatem violat.

naturam expendunt: & si qua id ratio postulare videatur, ditissimos, inopes: magistratus, priuati: & dominos, serui interdum vrunt, & secant: & ego cum non pauculos homines, sed maximas ciuitates, puritana labe infectas videam: non flebili more conquerar? non mœste lugeam? non omnes tanti mali vel authores, vel fautores, ac studiosos, vocis præstringam libertate? Hoccine a me requirit Christus, vt veritatis aduersarios semper oppugnem: & non obsistam reformatoribus? Æquum ne est, vt cum omni improbitate confligam: & funestas probabo discordiarum flammas? Contextasne in perniciem meam fraudes discindam: & confusionis non depellam causas, & semina? Quanquam non tam mea quam earum ciuitatum causa, quæ tutum mihi hospitium aliquando præbuerunt, de hac reformatorum importunitate conqueror. Me etenim etiam si maximis malis afficiant: haud vnquã tamen penitus delere possunt. Nã siue in amplissimis ciuitatibus, & in summa hominũ frequentia verser: siue in solitudinẽ vt olim, & in loca maxime deserta secedã: cœlesti quidem gratia, & auxilio cõmunita omnium scelerum victrix sẽper manebo. Illarum vero, illarum inquam nationum, & ciuitatum haud immerito deplorem statum, quæ patres excludunt, vt hospites, & peregrinos admittant: & antiquos ritus, atq; prisca instituta repudiant: vt impuræ se astringant disciplinæ formæ. Hoc enim optimi filij vobis affirmare audeo, quod nec vlla hominum societas sine pietate, nec pietas sine venusta quadam rerũ ecclesiasticarum dispositione, & ordine, nec ordo in reformatrice hac disciplina, diu incolumis manere potest.

Sed cum pro gentium omnium salute, atque incolumitate assidue precari debeam: tum pro te dulcissima Anglia; vt id in primis faciam, obstringor ratione quadam, & religione officij. Tu enim, cum varijs essem affecta incommodis, benigne me, & humaniter excepisti: tu eam mihi quietem attulisti, quam in alijs terrarum partibus

tibus non potui inuenire. In te Christiana pietas satis commodum hospitum: in te honestæ artes præclara præmia: in te omnes virtutes, certissimum præsidium assequutæ sunt. Ac certe si quo olim studio pietatem excepisti, eodem illi perpetuo adhærere velles: fœlicem te inprimis, & ante omnes orbis nationes beatam audacter prædicarem. Verum optimis principijs minus apte consentiunt reliqui actus: singularis illa, quam non sine summa admiratione in te quondam aspexi, charitas, plurimum refrixit: committis haud pauca, quæ tetra, ac flagitiosa prius statuisses: & permulta omittis, quæ cum pietate maxime coniuncta videantur. Sed quæ depelli possunt, depellere contendam: quæ non possunt, patienter, & sedate feram: & res grauius corruptas, cum dilectione, ac charitate deplorabo, donec aut eas emendet Deus, atque corrigat: aut in messe zizania radicitus euellat: & paleas separet ab optimis frugibus. Quod si ad hæc, quibus affligor mala, ea quæ reformatores moliuntur, tanquam cumuli accedent: perrumpetur omnis ordo: euolabit pietas: & ego ipsa, vi malorum oppressa dulcissimas in Anglia sedes cogar relinquere. Nihil enim commercij cum illis mihi esse poterit, qui dum consecrata eruditioni præmia diripiunt, pios, & eruditos, a sacrorum procuratione submouent. Deserenda mihi necessario est eorum societas, qui dum æquales esse præcipiunt cœlestis verbi ministros: fœdissimam in res ecclesiasticas confusionem inferunt. Maximis certe malis me afficiunt, qui ea condemnant ieiunia, quibus petulantiores affectus, optime reprimi, & coerceri possunt. Et nullo pacto ferre possum eorum nequitiam, a quibus sacramenta vel contemni penitus, vel negligenter, & dissolutè administrari video.

Reformatrix disciplina ordinem omnem & vetustatem violat.

Verum ne hæc quæ in angulis moliuntur reformatores, authoritate publica vnquam armari posiint: cum pijs omnibus a præpotenti maiestate assidue petere:

 tum

Antistites Anglicanos hortatur, vt acceptam ab antiquis patribus ecclesiasticam administrationem constanter tueantur.

tum vobis potissimum reuerendi patres, qui rerum ecclesiasticarum gubernacula suscepistis, omni studio, & animorum contentione laborare conuenit. Vestrum enim est, ne quid sceleris publice approbetur, diligenter prouidere: vestrum est hominum inexpiabiles religiones inducentium, perditissimis consilijs repugnare. Quod tametsi pietatis causâ, vos libentissime facturos arbitror: animos tamen vestros id aliquantulum excitare debet: quod non alios ex omni hominum genere, quam rerum sacratarum antistites, & episcopos aut malitiosius insectari, aut omni contumeliarum genere petulantius diuexare solent. De imperitia enim vestra, falso id quidem, & improbe, audacter tamen permulta narrant: vestros mores petulanter, & acerbe reprehendunt: quæ geritis munera, antichristiana esse clamitant: & nihil certe omittunt, quo vos vulgo inuisos reddant. Quæ si maiori quam par est voluptate, a plerisque audiantur, id minime mirum existimari debet. Nihil est enim, inquit Cicero, tam volucre, quam maledictum: nihil facilius emittitur: nihil citius excipitur: nihil latius dissipatur. Ac plerosque etiam animis ita videmus affici: vt non tam laudari alios, quam acerbe reprehendi cupiant. τοῦτο γὰρ inquit Demosthenes φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, τῶν λοιδοριῶν, καὶ κατηγοριῶν ἀκούειν ἡδέως. In obtrectando namque falsa libertatis species inest, sed qui laudibus alios efferunt, inter assentatores plerunque numerantur. Sed quo plures oculi mores vestros obseruant: & quo plures sunt linguæ, quæ ad dignitatem vestram, & existimationem violandam maledicta spargunt: eo maiori virtutum studio inflammari debetis: vt quæ vobis obijciuntur crimina: non tam verbis, quam vitæ vestræ innocentia, & integritate refutata concidant, & tanquam faces in aquam coniectæ restinguantur.

Verum si omnem, reuerendi patres, infamiam effugere, & Puritanæ factionis importunitatem euertere penitus,

&

& dissipare cupiatis: duobus quidem vitijs, quæ funestum hoc malum huc vsque aluisse, & certo confirmâsse mihi videntur: omni studio debetis obsistere. Quorum alterum est, quod nimis multi, pactionibus parum iustis ad summam in ecclesia dignitatem perueniunt: alterum est, quod qui precio, non virtute ad sacrosancta hæc munera accedunt: in ministris designandis priuatam potius vtilitatem, quam commune bonum ecclesiæ quærunt. Non aliam autem ob causam homines improbi ad sacrilegas direptiones tam audacter prorumpunt: quam quod vestri ordinis nonnullos, cum dignitatis suæ authoribus, consecratas ecclesiæ opes, & possessiones partiri vident: & nihil certe puritanam impuritatem vehementius adauget: quam quod indocti, & mercenarij pastores tam multis in ecclesijs collocantur. Hæc reuerendi patres vitia si omni studio depellere laboretis: facilius erit obsistere sacrilegorum libidini: & ministros non solum eruditos, quod nonnulli satis importune postulant, sed modum quo id præstari posit, scelerate repudiant: verum etiam maxime sanctos, & religiosos in omnibus locis constitui videbitis.

Antistites Anglicanos hortatur, vt acceptam ab antiquis patribus ecclesiasticam administrationem constanter tueantur.

Hic in mentem mihi veniunt postulata quædam reformatorum, de quibus tametsi commodius fortassis alibi loqui potuissem: hac extrema tamen perorandi parte, ea leuiter potius attingere: quam silentio præterire volui. Petunt autem, idque importune: sed petitionem tam honestā a vobis reuerendi patres contemni dicunt: vt de ijs quæ in quæstionem vocantur, æqua, & legitima disputatio habeatur. Qua in re, ne in causam optimam, & sanctissimam sine modo, ac moderatione insultent: & ne imperitos alliciant in perniciosam fraudem: omnem a vobis operam adhiberi vellem: vt quæ tam audacter petunt, siue ex animo, & vere, siue simulate id faciant, tandem aliquando obtinere possint. Quamuis enim res optime constitutas

in.

Antistites Anglicanos hortatur, vt acceptam ab antiquis patribus ecclesiasticam administrationem constanter tueantur.

in dubium vocari, vt nullo modo necessarium, ita maxime periculosum permultis videtur: infirmos tamen offendi: imperitos trahi in capitalem fraudem: contumacioris ingenij homines confirmari in malitia: iniqua æquis: delirantium optata, prudentium institutis: & optimis pessima anteponi, est multo certe periculosius. Præstat autem veritatem in dubium venire: quam falsa, & absurda sine dubitatione approbari. Veritas enim, cum in puluerem, & pugnam educitur, errorum caliginem facile dispellit: sed error nisi certis argumentis refellatur, non tam iuste cõdẽnari potest. Meo autẽ Iudicio æqua disceptatio, tam fausta nobis omnia, & fœlicia promittit: vt non sine cœlesti impulsu reformatores id flagitâsse existimem, quo potissimum euerti, & dissipari possint. Nam siue res eas, quas reformatrix hæc disciplina impudenter nobis proponit: siue rerum illarum defensores, & patronos perlustremus: nihil certe occurrit, quod non animos nostros, ad hanc pugnam excitare videatur. Res sunt eiusmodi, vt nullo vnquam ingenio, nulla oratione defendi possint: & hominum eorum impudentiam quis non merito contemnat: qui res tam absurdas, tam brutas, tam cœlo, terræque inuisas sibi defendendas suscipiunt?

In hoc hominum genere primo nobis occurrit princeps Puritanorum omnium, & quasi Homerus ipse Cartwrightus: à quo alij acceperũt tela, quæ in ecclesiam vibrant. Atq; vt Homerum quidã euomentẽ depinxit, & alios poetas id dilâbentes, quod in suis postea scriptis adhibebant: ita Cartwrightum euomuisse id virus, quod alij ab eo haustum in ecclesiæ perniciem effuderunt, verissime dici potest. Hunc maxime admirantur Puritani, & eius eruditionem omni reprehensione potiorem iudicãt. Mihi autẽ non tam eruditus, quã dicax videtur: & quã præclaris eum laudibus dignũ putemus: in cuius scriptis

nihil

nihil est illustrius, quám quod in homines præstantissimos aspere, ferociter, & acerbe maledicta conijcit? Sed sit tanti, quanti eum esse volunt: eruditione alijs omnibus præstare iudicetur: longe efferatur supra mortalem sortem: ara illi tanquam semideo summa religione cõsecretur: designetur tamen locus: definiatur tempus: iudices constituantur: & modo apud sacrilegos direptores causa nõ agatur, afferam permultos, qui de omnibus disciplinæ partibus libenter cum eo disputabunt. Cartwrightum sequetur alius, institutione, vt ferunt, eius alumnus: malitia, vt apparet, germanus frater: qui de ecclesiastica disciplina librum edidit. Homo certe nec indoctus, nec indisertus, vna tamen in re consilij prorsus inops: quod ornamentis illis, quæ matronæ sanctissimæ decus afferre potuissent, disciplinam ornat meretriciam. Sed hic quam iuste contemnatur: cum ad seriam, & seueram pugnam peruentum fuerit, cum ex multis alijs, tum ex his, quæ aduersus pontificios scripsit, manifesto apparet. Nam cum optimam causam tam frigide, imperite, atque ignaue defenderit: in pessima (vt arbitror) haud fortiorem se præstabit. Nisi forsan oppugnare non iniqua, quam sanctissima tueri malit: & ijs sit persimilis hominibus: qui cum domesticis, & amicis sæpissime confligunt: sed hostium vultum intueri non audent.

Antistites Anglicanos hortatur, vt acceptam ab antiquis patribus ecclesiasticam administrationem constanter tueantur.

Haud multum nobis nocebit Fennerus ille, qui doctissimum virum Bridgesum refutare laborauit. Nam cum omnia, quæ proponunt reformatores, æquitati esse consentanea, certissimis rationibus confirmare sibi assumpsisset: varia quidem argumenta, sed vel sine capite, vel sine cauda omnia reliquit: & prius vitam, quam vnum, eo quo decuit modo, syllogismum conclusit. Demonstrator ille, nobilissimæ philosophiæ parti insignem contumeliam intulit: quod rationum cadauera demonstrationum nomine appellauit. In eo tamen quod omnia, quæ à reformatoribus afferri solent, in vnum quasi cumu-

Antistites Anglicanos ad tuendam eam, quam à vetustis patribus acceperunt, disciplinam hortatur.

lum coniecit: & in syllogismorum redegit formam: hoc boni præstitit vir minime bonus, quod Puritani monstri fœditatem ornatu orationis tanquam veste detracta multo iam planius intuemur. Quid hic milites monopodios? quid diotrephes? quid mille alios commemorem? qui impudentia sua molestiam: non robore formidinem nobis incutiunt. Qui tamen si rectè sibi consulēt, in aciem, & dimicationem haud vnquam prodibunt. Neq; enim vt claudi celeriter fugere: nec in causa tam perdita resistendo quidquam præstare possunt. Accedet etiam ad hanc disputationem ὑποκριτής Martinus, vt ruinæ metu perturbatos suorum animos, ea qua excellere sibi videtur, festiuitate oblectet. Verum contemnatur rectius homo ridicule insanus, quam refutatione grauiori dignus censeatur: quòd scurrilibus iocis, ac infacetis facetijs antiquæ disciplinæ decus violare contendit. Nam cū in causa maxime luctuosa illiberales, & sordidos nonnunquā iocos adhibeat: & amittit quam sperauit laudem vrbanitatis: & in eam, quā non metuit, insulsitatē incidit.

Grauis fateor erit nobis aduersarius cælorum odium, & labes terrarum Penreyus: quē certe nec in castris nostris videre: nec contra nos in hoc certamen prodire vellemus. Præ alijs enim Puritanis hoc sibi peculiare habet: quod omnes boni eius congressum, sermones, & aspectum perhorrescent: ne teterrimo eius spiritu polluantur. Sed vt homini tam impuro meliorem potius mentem precari, quam argumenta afferre conuenit: ita ne qua improbe molitur, scelerate præstare posſit, omni quidē studio reuerendi patres contendere debetis. Nam si in tanta collocetur authoritate: vt nouos ecclesiæ ritus præscribat: carnificem animarum, non prudentem, aut pium legislatorem in rebus ecclesiasticis dominari videbitis. His se adiungit permagna ministrorum colluuies: qui quod indignitatis suæ conscij, ad summos honores peruenire desperant: dispares quidē omnes, & honoris, & authoritatis

gradus

gradus incidendos censent. Quorum ego malitiam non possum non grauiter, & moleste ferre: haud vllo tamen modo pertimesco impetum. Optatis enim potius, quam argumẽtis causam nostram oppugnabunt. Neq; aduersa illis vnquã imprecabor: nec quidpiam mali inferre contendam. Mihi enim pœnarum plusquam vellem dependunt. Nam haud grauius cuipiam tormentum, quam eam qua cruciantur inuidiã optarem. Tuentur etiã hanc causam sacrilegi quidam prædones: qui ad diripiendas ecclesiæ opes, reformatoribus, tanquam instrumentis abutuntur. Qui homines, si vi geratur res, fortassis aliquid efficient: sed cum ad æquam disceptationem peruentum fuerit: nequitiam suam omnibus conspiciendam proponent. Huc præterea confluunt omnes prodigi: omnes impuri: omnes flagitiosi: omnes luxu perditi, & obstricti ære alieno; qui ecclesiæ ruinis, infinitas effusiones tueri student. Sed quam mirabiles putem rationes afferent: vt virtutis præmia ad alendam nequitiam, haud iniuste transferri ostendant. Ad has præterea partes accedit permagna infimorum hominum multitudo, non tam iudicio mota, quã agitata, & impulsa fatali quadam inconstantia. Verum hi homines clamoribus fortassis nos obtundant: argumentis certe non vnquã prement. Qua etiam leuitate ad reformatricem causam accedũt: eâdem postea si nouæ præsertim spargantur opiniones, ab ea recedent: & sanctissimum id semper iudicabunt, quod recentissime affertur.

Antistites Anglicanos ad tuendam eam, quam à vetustis patribus acceperunt, disciplinam hortatur.

Instruamus nunc contra has tam præclaras reformatorũ copias, nostra præsidia, nostrosque exercitus: & primum quidem politioris literaturæ florem, ingeniorum lumina, & ipsam arcanæ theologiæ medullam, inclyta Cantabrigia, & dilectum mihi maxime celebre Oxonium promittit. In illis etiam prophetarum collegijs, cathedralibus nimirum ecclesijs, permulti studium mihi, ac laborem, & operam omnem in hanc causam pollicentur. Funestam enim hanc cõtentionẽ, quã diuinũ plane bonũ

Antistites Anglicanos hortatur, vt acceptam ab antiquis patribus ecclesiasticam administrationem constanter tueantur.

Cartwrightus iudicat, tam vehementer improbant: vt corpora sua libenter vel flammis offerent: si Anglicanæ ecclesiæ pax morte sua repræsentari posit. Aderunt nobis in hac causa, qui greges suos ad pietatem vere informant, fideles quidam pastores: & pij etiam omnes, tametsi non disputationibus, optimis tamen armis, precibus, & lachrymis reformatricem gentem dißipare laborabunt. Patres præterea sanctißimi nobis aperte fauent: & non solum quæ suis quisque libris priuatim scripserunt: sed quæ decreuerunt in synodis communi consensu, in subsidium nobis mittunt. Et ne in singulis recęsendis diutius immoremur: vniuersus eorũ, qui Christũ verè colunt, exercitus causam nostram tuetur. Quod si his omißis, ipsas causas, quæ inter se confligunt, contendere velimus: ex eo ipso quam valde illi Iaceant, intelligere poßumus. Ex hac enim parte æquitas pugnat, illinc diripiendi res sacras inexplebilis libido: hinc pium obedientiæ studium, illinc contumacia: hinc eorum, quæ veteres approbârunt, religosa quædam obseruatio, illinc violatio optimarum legum. Quæ de presbyterijs fingunt reformatores, pietas certißime condemnat: inutiles esse populares electiones communis experientia testatur: vna illa, quam vbique collocandam censent, disciplinæ forma, cum recta ratione cohærere non potest: ab officiorum, & munerum æqualitate natura abhorret: & si omnia quæ, supra sunt, ac subter perlustrare velimus: haud aliud præter confusionem, & confusionis patrem Orcum, Puritanæ labi fauere videamus.

In tam præclara ego causa non sim animosa? non audacter in aciem prodeam? non despiciam imbecillas Puritanorum copias? Imo vero videte quantum mihi fiduciæ veritas attulit? Ipsos pene reformatores, si non omnem penitus rationem excusserint, admittam iudices. Audiant tantum, & tum, si velint, condemnent: quæ dicimus, aduertant, & si æquum esse putent, priores tribuant

Puritanæ causæ. Sed ô cœcas,& imperitas mentes, quæ reformatricis disciplinæ vanitatem non perspiciunt: ô nefarias, & sceleratas, quæ eam alere, & tueri contendunt: ô miseram me,& calamitosam,quod de hac causa, tanquam de re dubia tam diu disceptare cogor: sed miseriorem adhuc, & magis calamitosam, quod ex horum claustris multo funestius prodit impietatis genus. Nam vt olim, cum nullum concertandi finem Christiani facerent: dissentionibus defessa permagna terrarum orbis pars mahometismum ex omnium scelerum,& errorum colluuione conflatum, cupidissime approbauit: ita permulti hoc tempore, quod grauissimis de religione contentionibus omnia perturbari vident: omnem religionem scelerate contemnunt. Quorum tamen alij astutiores, illam semper religionis speciem simulant, quam suis rationibus maxime quæstuosam fore perspiciunt: alij vero, vt qui simulationē bonis scilicet viris minus conuenire putant,aperte irrident omnia,quæ de Deo,ac rebus diuinis dicuntur. De his duobus hominum generibus conqueri, initio huius quærimoniæ proposueram. Sed leuiores esse dolorum ictus video, qui lachrimas eliciunt. Nam grauior ægritudo attonitos reddit. Velo mihi necessario est obuoluendus ille mœror, quem nullus vnquam penicillus exprimet. Mens ærumnarum mole oppressa obstupescit: adhæret lingua faucibus: excidunt mihi ē manibus rationum tela, quas in animo fuit in hos homines intorquere: deficiũt me vires nimia ægritudine: nulla vel corporis,vel animi pars,munus suum,ac officiũ præstat:& tanto quidē horrore percutior,vt vix hoc vnum effari possim: *exurgat deus, vt dissipentur omnes, qui illi aduersantur.*

In impuros Machiauelli fœtus,& atheos illos,qui omnem vim cœlestem,& numen diuinũ irrident.

FINIS.